De Clavium Potestatis Existentia Atque Natura

DISSERTATIO

quam submittit

Sacrarum Judicio Facultatis Scientiarum
Apud Universitatem Catholicam
Americae Septentrionalis

tamquam scriptum publici periculi experimentum
ad
DOCTORATUM
in
SACRA THEOLOGIA
obtinendum

Fr. AMBROSIUS VILLALPANDO, O. F. M.
S. T. L.

EX PROVINCIA SS. APOST. PETRI ET PAULI
IN
MEXICO

Universitas Catholica Americae
Washingtonii, D. C.
1921.

De Clavium Potestatis Existentia Atque Natura

DISSERTATIO

quam submittit

Sacrarum Judicio Facultatis Scientiarum
Apud Universitatem Catholicam
Americae Septentrionalis

tamquam scriptum publici periculi experimentum

ad

DOCTORATUM

in

SACRA THEOLOGIA

obtinendum

Fr. AMBROSIUS VILLALPANDO, O. F. M.
S. T. L.

EX PROVINCIA SS. APOST. PETRI ET PAULI
IN
MEXICO

Universitas Catholica Americae
Washingtonii, D. C.
1921.

NIHIL OBSTAT.

Datum ex Seminario ad S. Bonaventuram, apud Allegany (N. Y.), die 19 Januarii 1921.

FR. THOMAS PLASSMANN, O. F. M.,
Censor designatus.

IMPRIMI POTEST.

FR. BONAVENTURA TOVAR, O. F. M.,
Commissarius Provincialis.

NIHIL OBSTAT.

FR. JOSEPHUS KENNEDY, O. P.,
Censor deputatus.

IMPRIMATUR.

J. CARD. GIBBONS,
Archiepiscopus Baltimorensis.

o ca

UNIVERSITAS CATHOLICA AMERICAE,
WASHINGTONII.

S. FACULTAS THEOLOGICA, 1920-1921,

No. 16

Y

PRAEFATIO.

UNIVERSARUM rerum Creator optimus "hominem rectum" condidit (Eccl. 7, 39); rectum quidem naturali rectitudine mentis, cordis atque voluntatis; rectum etiam propter dona praeternaturalia atque supernaturalia, quibus ipsum tam largiter exornavit. Re quidem vera, in felicissimo justitiae originalis statu, tam naturali quam supernaturali scientia praeditus erat homo; cor ejus atque voluntas nullis erant pravis affectionibus vitiata, neque caro concupiscebat adversus spiritum, neque spiritus adversus carnem. Primus homo summa fruebatur pace, cum totus esset atque perfecte subditus Deo. Non mediocriter augebat felicitatem illam immunitatis donum, seu carentia totalis aerumnarum, afflictionum atque dolorum; cui dono sociandum est immortalitatis donum, quo contigisset hominem e terra in caelum transferri, non praegustato mortis calice amaro. Hisce non contentus Dominus, adhuc magis hominem exaltavit, ipsumque filiatione adoptiva adauxit, ut tam in terra quam in ipso caelo non sicut servus esset (quod natura erat), sed tamquam filius in domo sua.

Sed proh dolor! Homo noluit agnoscere tot tantaque beneficia divina, sed maluit aures praebere fallacibus diaboli promissionibus, et sic amisit sibi suisque posteris tam superexcelsa dona. Dives tamen in misericordia Deus non reliquit hominem in tanta miseria demersum, eique proprium Filium sibi dilectissimum dedit Salvatorem.

Longo labente tempore, Christus apparuit in terris, nostramque salutem operatus est atque ad statum gratiae animas nostras restituit, per suam passionem atque mortem dolorosissimam. Fundavit etiam Ecclesiam suam, ut esset ejus activa continuatrix in opere salvationis humanae; in eaque septem instituit sacramenta, "per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur" (Con. Trid. sess. 7 in prooemio).

Justitia, per peccatum mortale post Baptismum commissum amissa, per sanctum Poenitentiae recuperatur sacramentum,

quod "secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt" (Conc. Trid., sess. 6, cap. 14).

De hac secunda tabula disserere intenditur hoc in scripto. Non tamen de tota materia tractaturi sumus, sed tantummodo studebimus potestati remissivae, seu CLAVIUM POTESTATI a Christo Domino nostro sanctis Apostolis collatae eorumque successoribus.

Hoc in studio perficiendo S. Scripturam, sacram et venerandam Traditionem sequemur, non despectis, immo magni habitis, ratione atque auctoritate humanis, si locum habere possint.

Omnia subjiciuntur S. R. Ecclesiae infallibili judicio.

Gratias quam plurimas refero omnibus ac singulis personis, quae mihi juvamen quomodocumque praestiterunt, praesertim meo dilecto atque cl. Professori Fr. Josepho Kennedy, O. P. S. T. M.

DISSERTATIONIS DIVISIO.

Primo, de Poenitentiae variis sensibus disputabimus.

Secundo, ponemus statum quaestionis.

Tertio, videbimus clavium potestatis promissionem a Christo Domino sanctis Apostolis fuisse factam.

Quarto, considerabimus ejusdem potestatis collationem.

Quinto, praecipuas collatae potestatis notas examinabimus.

CAPUT I.

De variis poenitentiae sensibus.

Patres atque theologi duplicem distinguunt poenitentiam, nempe, poenitentiam ut *sacramentum* et poenitentiam ut *virtutem*. Nonnulla ergo dicamus de ipsa poenitentia utroque sensu sumpta, ut melius, quae sequuntur, intelligantur.

ARTICULUS I.

Poenitentia ut virtus.

"Primum quidem,—ait *Catech. Rom.*[1]—de ipsa (poenitentia), ut *virtutis parte,* agendum est; non solum quia fidelis populus ad omne virtutis genus a Pastoribus instrui debet, sed etiam quia hujus virtutis actiones materiam praebent, in qua Poenitentiae sacramentum versatur; ac nisi prius quae sit poenitentiae virtus recte intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est."

Quid sit poenitentiae virtus.

Etymologice.—Penes *Latinos,* poenitentia quoad *nomen,* juxta quosdam, originem ducit a verbis *poenam tenere*. Sic docent *antiqui* praesertim. V. g., Auctor libri *De vera et falsa poenitentia* ait: "Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commississe"[2].—Clarius loquitur *S. Isidorus Hispalensis:* "A punitione Poenitentia nomen accepit; quasi punitentia, aut poenitentia, per quam, sc., homo poenitendo punit, quod male admisit peccando"[3].—Denique *Petrus Lombardus,* quem sequuntur Scholastici, poenitentiam definit: "Poenitentia dicitur a puniendo, qua quis punit illicita quae commisit"[4].

Juxta alios vero, praesertim *modernos,* poenitentiae nomen suam habet radicem in voce *pene,* quae antiquitus idem erat ac penitus, seu quid intimum cor afficiens.

Graeci tribus nominibus poenitentiam exprimunt, quae sunt: Metánoia, Exomologesis ac Epitimion. *Metanoia* denotat resipiscentiam; *Exomologesis* significat confessionem. Multoties

---

[1] P. II, cap. 5, n. 3.
[2] Cap. 8, n. 22.
[3] Etymologiar, lib. 8.
[4] Sent. IV, dist. 14.

tamen Exomologesis sumitur pro toto processu justificationis a peccato post baptismum commisso, inclusa etiam sacramenti poenitentiae collatione. Idem dicas de voce Metanoia. *Epitimion* mulctam vel poenam indicat.

Realiter.—Quoad *rem,* poenitentia definiri potest: *Poenitentia est virtus supernaturalis et moralis peccatorem inclinans ad personalis detestationem peccati, quia et quatenus est Dei offensa, et ad firmum emendationis et satisfactionis propositum.*

Explicatur Definitio.

1. *Poenitentia est virtus.*

(A) *Status quaestionis.*—*Seraphicus D. S. Bonaventura* nonnullorum refert sententias antiquorum, simulque eas subjicit crisi[5].

(a) In primis refellit eorum sententiam dicentium "quod poenitentia non est *virtus,* sed *actus virtutis* . . . .—Sed ista positio non est conveniens. Si enim iste actus est bonus et difficilis, et circa quem contingit errare; sicut ira per zelum est habitus, quo homo irascitur, vitiis *alienis;* sic poenitentia est habitus, quo homo irascitur vitiis *propriis.* Si enim non esset habitus, tunc non diceretur habere poenitentiam nisi actu poenitens".

(b) "Secunda fuit positio, quod (poenitentia) est *habitus,* non virtutis, sed *gratiae* . . . .—Sed ista positio non debet stare; quia gratia non dirigit liberum arbitrium ad aliquem motum specialem per se, nisi mediante *virtute;* quod facit poenitentia."

(c) "Tertia positio est, quod poenitentia est *virtus,* sed non est virtus nisi *extenso nomine* virtutis. Nam virtus proprie est in dirigendo ad bonum—virtus enim est qualitas mentis qua recte vivitur—sed poenitentia revocat a malo.—Sed haec positio non videtur adhuc sufficiens, quia poenitentia non tantum facit *dolere* de culpa perpetrata, sed etiam facit *emendare;* unde ejus est objectum punire et Deo reconciliare; et hoc patet ex ejus definitione, et ita est virtus proprie".

(d) "Ultima positio est, poenitentia est *habitus virtutis,* et virtutis secundum *propriam* acceptionem, non tantum secundum communem.—Et haec probabilior est, ut credo . . .". Et non tantum probabilior est, sed certa, ut patebit ex sequentibus.

[5] Cfr. S. Bonav., Op. Om., Quaracchi, a. 1889, tom. 8, pag. 318-21.

N. B. Antequam aggrediamur probationem, videndum est *quid* sibi velit *virtus.* Ad hoc cognoscendum, nobis multum inserviet disputatio illa quam cum *Evodio* sustinuit *D. Augustinus,* qui sic eum alloquitur: "Intueris enim justitiam, qua nemo male utitur. Haec inter summa bona, quae in ipso sunt homine numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa recta vita et honesta constat. Nam neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia male quis utitur: in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Ista ergo magna bona sunt: sed meminisse te oportet, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo, a quo sunt omnia bona, hoc est a Deo . . . Virtutes igitur, quibus recte vivitur, magna bona sunt: species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiae vero animae, sine quibus vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur: ceteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse praestitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quam in mediis, quam in minimis: sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset"[6].

Virtus itaque est bona qualitas qua quis recte vivit et qua nemo male utitur, seu, est habitus agendi juxta rectae rationis dictamen atque fidei illustrationem.

Cognita virtutis definitione, nunc probandum est poenitentiam virtutem esse.

(B) *Prob.*—(a) Quidquid a Domino praecipitur, nonnisi virtus esse potest; sed poenitentia praecipitur a Domino; ergo.

Major probatione non indiget, cum pateat Deum summam infinitamque restitudinem esse.—Prob. *min. Ezech.*: "Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris . . . Projicite a vobis omnes praevaricationes in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum"[7].—Quod Ezech. in V. T. praedicavit, hoc et repetit in N. T. *S. Joannes,*

[6] De Liber. Arbitr., lib. II, cap. 19, n. 50.
[7] Cap. 18, 30 31.

Domini praecursor: "In diebus autem illis venit Joannes Baptista praedicans in deserto Judaeae, et dicens: Poenitentiam agite: appropinquavit regnum caelorum"[8]. Immo ipse Dominus noster *Jesus Christus* suam incipit publicam vitam per poenitentiae praedicationem: "Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilaeam, praedicans evangelium Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, poenitemini, et credite evangelio"[9].—Hinc *Catech. Rom.,* P. II, cap 5, n. 6: "Quod autem . . . poenitentia . . . ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, quae de poenitentia tradita sunt, praecepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quae suscipiuntur cum virtute, praecipit."

(b) Praeterea, illa virtus dicenda est, quae debite regit animi motus; sed hujusmodi est poenitentia; ergo.

Prob. min.: "Negare praeterea nemo potest, quin dolere quando, quo modo, et quatenus oportet, virtutis sit; hoc autem ut recte fiat, poenitentiae virtus praestat. Interdum enim evenit ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant; quin etiam, ut a Salomone scriptum est, nonnulli sunt qui, cum male fecerint laetantur; rursus vero alii ita se moerore animi et aegritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent; qualis fortasse Cain videri potest, qui ait: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear; et qualis certe Judas fuit, qui, poenitentia ductus, suspendio vitam et animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adjuvamur"[10].

(c) Ulterius, virtutis est sibi proponere finem bonum; sed poenitens sibi proponit finem bonum, sc., abolitionem peccati, Dei satisfactionem atque divinae gratiae, per peccatum amissae, acquisitionem; ergo.

Min. prob.: "Sed idem (i. e., poenitentiam virtutem esse) etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tamquam finem proponit is, quem vere peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est ut peccatum aboleat, omnemque animae culpam et maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus . . . Deo satisfaciat, quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum et hominem propria justitiae ratio inter-

---

[8] Mt. 3, 2.
[9] Mc. 1, 14-15.
[10] Catech. Rom., loc. cit.

cedere non potest cum tam longo intervallo inter se distent; aliqua tamen esse justitiam constat, cujusmodi est inter patrem et filios, inter dominum et servum. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem et odium propter peccati foeditatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant poenitentiam ad virtutem spectare"[11].

(d) Insuper, virtus est quod Deo placet et angelis, atque tamquam fructum habet consecutionem gratiae ac aeternae beatitudinis; atqui talis est poenitentia; ergo.

Min. prob. *David* rex Dominum alloquitur: "Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaveris: sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies"[12].—*Baruch* etiam ad Dominum ait: "Aperi oculos tuos et vide: quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et justificationem Domino: Sed anima, quae tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino"[13].—In mentem recolas perpulchram parabolam pharisaei et publicani a Domino nostro propositam, in qua Dominus poenitentem agendi rationem publicani describit, necnon et justificationem ejus: "Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam"[14].—Legas etiam tenerrimam parabolam filii prodigi poenitentis, ubi describitur immensum gaudium quo affectus est pater, quando vidit filium suum in meliorem frugem revertentem. Tanta fecerat pater, ut excitaverit filii senioris zelotypiam. Sed pater ad hunc filium ait: "Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est"[15].—Mediteris etiam parabolas ovis deperditae atque amissae drachmae, ubi ob oculos tuos Dominus ponit et diligentiam quaerentium et laetitiam ineffabilem invenientium. Mediteris etiam Domini conclusiones: "Dico vobis, ita erit gaudium in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super

---

[11] Catech. Rom., P. II, cap. 5, n. 7.
[12] Ps. 50, 19.
[13] Cap. 2, 18-19.
[14] Lc. 18, 13-14.
[15] Lc. 15, 31-32.

nonaginta justis, qui non indigent poenitentia . . . . Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente"[16].—Igitur poenitentia non solum virtus dicenda est, sed, cum *Catech. Rom.*, "prorsus *divina et caelestis* virtus existimanda est, cui sc., Regnum caelorum Sacrae Scripturae pollicentur; nam apud S. Mt. scriptum est: Poenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum; et apud Ezech.: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et facerit judicium et justitiam, vita vivet; et alio loco: Nolo mortem impii, sed ut covertatur impius a via sua, et vivat. Quod de aeterna et beata vita intelligendum esse plane constat"[17].

(e) *Angelicus Doctor* sic *ratione* probat poenitentiam esse virtutem: "Poenitere est de aliquo prius a se facto dolere . . . Dolor (autem) vel tristitia dupliciter dicitur: uno modo secundum quod est *passio* quaedam appetitus sensitivi, et quantum ad hoc poenitentia non est virtus, sed passio; alio modo secundum quod *consistit in voluntate,* et hoc est cum quadam electione; quae quidem si sit recta, necesse est, quod sit actus virtutis. Dicitur enim in 2 Eth. (cap. 6), quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat, de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est; quod quidem observatur in poenitentia, de qua nunc loquimur; nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quod poenitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis"[18]. Etenim cui convenit definitio, ei convenit et definitum. Jamvero poenitentiae, prout nunc de ea loquimur, convenit virtutis definitio; ergo et ipsa virtus sit necesse est.

2. *Poenitentia est virtus supernaturalis.*

Constat ergo poenitentiam virtutem esse. Sed ut salutifera sit, requiritur ut sit virtus *supernaturalis.* Potest quidem homo de peccato dolere solis naturalibus viribus atque propter motiva mere naturalia; quia, v. g., divitias amisit, vel hominum favorem atque existimationem, vel corporalem salutem et cetera hujus-

[16] Lc. 15, 7 et v. 10.
[17] P. II, cap. 5, n. 9.
[18] Summ. Theol., 3, q. 85, a. 1.

modi. Sed haec naturalis poenitentia nullum habet valorem ad salutem, i. e., sive ad consequendam gratiam sanctificantem hic in terris sive Dei nudam visionem atque beatificum amorem in caelis. Rem sic evolvit Auctor lib. *De vera et falsa poenitentia:* "Sed quoniam poenitentia non omnis est bona, dicamus aliqua, quae separant veram a falsa, sterilem a fructifera. Sunt enim quos peccasse poenitet propter praesentia supplicia. Displicent enim latroni peccata, quando operantur poenam. Deficit vindicta? revertitur ad crimina. Ista poenitentia non ex fide procedens, nec ex caritate vel unitate, sterilis manet et sine misericordia. Haec non purgat conscientiam, nec lavat crimina. In hac nulla est spes veniae, nulla expectatio indulgentiae. Huic concordant qui confitentur inviti, non amore boni, sed ut fugiant damnum vel incommodum saeculi. Serviunt mundo, quem amant; quaerunt suam gloriam, quam anhelant; recipiunt mercedem, quam exspectant. Si quis tali poenitentia securus exstiterit, et ad veram de ista non contenderit, deceptus et miser aeternaliter peribit"[19].

Hac naturali et infructuosa poenitentia fuit motus impius et superbus *Antiochus,* v. g.[20]. Percussus et vulneratus a Domino, orationes et vota ad Dominum faciebat ut corporalem salutem recuperaret, sed frustra. Antiochus "ita superbe locutus est: Se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulchri Judaeorum eam facturum.—Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta; et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. Super hoc superbia repletus, ignem spirans animo in Judaeos, et praecipiens accelerare negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans; ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus affluerent odore etiam illius ac foetore exercitus graveretur. Et qui paulo ante sidera caeli contingere

[19] Cap. 9, n. 23. [20] II Mach., 9, 4-28.

se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris, portare." Prostratus igitur Antiochus jacebat propter insanabilem et invisibilem plagam, propter intolerabilem foetorem membrorumque collisionem. Magnis, immo maximis temporalibus suppliciis afficiebatur! Iisque permotus Antiochus orabat ad Dominum, deprecatorias litteras ad Judaeos mittebat, votaque fecit pro Judaeis, pro Jerusalem atque templo. Sed frustra; nam illa poenitentia naturalis omnino erat, ideoque miserrimus ille rex "miserabili obitu vita functus est".

"Hinc igitur (Antiochus percussus) coepit, ex gravi superbia deductus ad agnitionem suam venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse jam foetorem ferre posset, ita ait: Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, *a quo non esset misericordiam consecuturus;* et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam redderet; et Judaeos, quos nec sepultura quidem se dignos hibiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicetur. Templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis praestaturum; super haec, et Judaeum se facturum, et omnem locum terrae perambulaturum, et praedicaturum Dei potestatem". O quam magnificae promissiones! Quam mira se facturum esse dicit! Et tamen... nihil ipsi profuerunt! "Supervenerat enim in eum justum Dei judicium"; et hoc, vel quia non erat revera poenitens, vel quia saltem ejus poenitentia pure naturalis erat, ut videtur ex sacra pagina deduci, quae (interposita epistola Antiochi ad Judaeos) sic finem imponit huic tristi et terribili facto historico: "Igitur homicida et blasphemus, pessime percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est".

Aliud naturalis et infructuosae poenitentiae exemplum triste habemus in *Juda,* Domini traditore, qui poenitentia quidem ductus erat (Mt. 27, 3), tamen "suspendio vitam et animam amisit", ut docet Catech. Rom., *P. II, cap. 5, n. 6.*

Non sufficit itaque naturalis poenitentia ad peccatoris justificationem. Requiritur ut poenitentia supernaturalis sit, i. e.,

necesse est ut concipiatur divina adjuvante gratia, propter aliquod motivum nobis per fidem propositum. Quaenam sint motiva, infra dicetur.

Haec doctrina plane pleneque probatur in Tract. de Gratia, et constat ex dissertis Ecclesiae declarationibus. Ita, v. g., *Conc. Arausicanum* II, can. 4, docet hominem a Deo recipere non tantum purgationem peccatorum, sed etiam ipsum volutatis affectum, quo purgari peccator vult: "Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nobis fieri confitemur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: 'Praeparatur voluntas a Domino', et Apostolo salubriter praedicanti: 'Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate' "[21]. Ex praefatis verbis non tantum habetur ipsa doctrina, sed etiam damnatio sententiae oppositae; quam damnationem repetit *Conc. Trid.,* sess. 6, can. 3: "S. q. d., sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut *poenitere* posse, sicut oportet, (i. e., supernaturaliter), ut ei justificationis gratia conferatur, A. S."[22].—Instantibus haereticis in asserenda sufficientia poenitentiae naturalis *Innocentius XI* respondit eorum sententiam iterum damnando. En propositio damnata: "Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam"[23].

Neque mirum est Ecclesiam tantopere insistere in asserenda poenitentiae supernaturalitate; quia quamvis ordo naturalis et ordo supernaturalis inter sese minime opponantur (uterque enim a Deo provenit, et Deus sibi contradicere nequit, cum sit veritas infinita), tamen plane distinguuntur. Hanc distinctionem clarissime Dominus noster Jesus Christus statuit per verba illa quae ad sanctos Apostolos nobisque pariter dixit: "Sine me nihil potestis facere"[24]. Nihil naturale sine Dei concursu naturali, nihil supernaturale sine Christi gratia divina, homo facere potest. "Sive ergo parum sive multum,—concludamus cum D. Augustino,—sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest"[25].

---

[21] Denz.-Ban., Enchiridion Symbolorum, n. 177 (Semper citatur edit. 11, nisi aliud notetur).
[22] Ibid., n. 813; cfr. n. 797.
[23] Ibid., n. 1207.
[24] Jo. 15, 5.
[25] Rouet, Enchiridion Patristicum, n. 1835 (Citatur edit. 1).

, Sed forte quis dicet: sine Christo nihil facere possum etiam in ordine naturali; ergo etiam ad opera naturalia peragenda, divina gratia indigeo.

Dist. antec.: sine Christo, tamquam auctore *naturae,* nil facere potes, conc.; indiges enim concursu divino ad operandum. Sine Christo, tamquam auctore *gratiae,* seu ordinis supernaturalis, neg. Gratia enim stricte dicta et concursus naturalis absolute distinguuntur. Nam gratia omnino et quocumque modo consideretur, gratuita est; concursus autem naturalis est quodammodo debitus nobis, supposita creatione.

Insto: Concursus naturalis vocari potest gratia.

Dist.: Vocari potest gratia, lato sensu, conc.; gratia, stricto sensu, prout de ea theologi loquuntur, neg. Gratia, lato sensu, vocari potest quodcumque donum divinum seu a Deo procedens; gratia autem stricte dicta est donum supernaturale intellectuali creaturae a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam. Et hoc donum non datur ad actus mere naturales ponendos, ut abunde theologi probant.

3. *Motiva supernaturalia poenitentiae.*

Jam nunc agendum est, licet breviter, de motivis supernaturalibus poenitentiae.

a) Primum omnium omniumque excellentissimum est amor Dei, Summi Boni, ex toto corde et super omnia.—b) Alterum est perfecta contritio, quae ad actum caritatis addit peccati detestationem, quatenus Deo oppositi, et propositum non peccandi de cetero. Ii duo actus adeo magnam habent efficaciam, ut justificent peccatorem, etiam antequam sacramentum poenitentiae recipiat *in re;* includunt tamen *votum* sacramentum recipiendi, cum includant voluntatem faciendi quod Deus praecipit aut vult. —c) Alia motiva praebet attritio (N. B.), seu contritio imperfecta, sc., praebet turpitudinis peccati considerationem, amissionem aeternae beatitudinis, gehennae atque poenarum metum et timorem. Notandum tamen est tres species timoris esse, nempe, timorem *filialem* seu castum, quo timet homo Deum offendere ex amore et reverentia; timorem *simpliciter servilem,* seu timorem servilem sine ullo addito, quo homo abstinet a peccato propter poenas quas Dominus minatur, sed simul affectum ad peccatum deponit homo; timorem *serviliter servilem,* quo homo

abstinet a peccato propter poenas, sed retinet affectum ad ipsum peccatum. Ex hisce timoris speciebus ultima tantum rejicienda, utpote quia mala; retinet enim affectum peccandi.—d) Tandem assignari potest tamquam motivum ad poenitendum motivum uniuscujusque virtutis.

(N. B.) Attritio definitur sic: animi dolor ac detestatio peccati commissi procedens ex motivo supernaturali, a caritate distincto, cum proposito non peccandi de cetero.

a) Disputatur inter theologos utrum sufficiat attritio concepta ob metum poenarum *temporalium,* ut a Deo immissarum vel immittendarum.—Si includatur voluntas a peccato abstinendi, et Deus consideretur ut vindex supernaturalis, non video cur admitti non possit affirmativa sententia, cum casus hic reincidat in timorem simpliciter servilem, qui ab omnibus admittitur tamquam sufficiens motivum attritionis. Si autem excludantur illa duo, tunc mihi videtur admitti non posse hujusmodi motivum tamquam sufficiens, quia in casu nonnisi haberetur timor serviliter servilis, qui ab omnibus rejicitur. Quidquid sit, in praxi confessarius excitare debet poenitentem ad altiorem dolorem, ei proponendo, motiva certe sufficientia ad attritionem, immo, expedit ut ei proponat contritionis motiva, utpote perfectiora[26].

b) Immo etiam disputatur inter theologos, utrum sufficiat attritio concepta ex *solo* metu gehennae, absque sc., aliquali amore Dei. Affirmantes vocantur attritionistae, negantes vero dicti sunt contritionistae. Exortis inter ipsos gravibus dissentionibus, *Alexander VII,* die 5 Maji 1667, praecepit ut "non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sede fuerit aliquid hac in re definitum". Huc usque nihil definitum est. Sed in praxi statim ac constat quemlibet poenitentem vere attritum esse, atque peccata super omnia detestari, absolvendus est, quia dispositus[27].

[26] Cfr. Ferraris, O. F. M., Prompta Bibliotheca, tom. VI, voce "Poenitentiae sacramentum", art. II, et Appendix.

[27] Tanquerey, De Poenit., cap. II, art. II, n. 144, edit. 13, quae semper citatur, nisi aliud notetur.

4. *Poenitentia est virtus moralis.*

Assignatis breviter motivis poenitentiae, evolvenda nunc est illa particula poenitentiae definitionis, ubi dicitur poenitentiam virtutem esse *moralem.*

Siquidem poenitentia non est virtus theologica; quia hujus generis virtutes habent tamquam objectum formale Deum in se et directe consideratum; sed hoc non evenit in poenitentia, cum sit detestatio peccati commissi et emendatio vitae futurae; ergo poenitentia non est virtus theologica. Ex altera vero parte, praeter virtutem theologicam non datur nisi virtus moralis. Cum autem poenitentia sit virtus, et non sit virtus theologica, restat ut tamquam virtus moralis habeatur.

QUAESTIUNCULA I.

Hic occurrit quaestio sequens: utrum poenitentia sit virtus *generalis,* seu virtutes omnes complectatur, an sit virtus *specialis,* seu habens motivum formale proprium distinctum a formali motivo aliarum virtutum?

Non fuit una sententia inter antiquos theologos, quorum nonnulli primam tenuerunt sententiam, sc., poenitentiam esse virtutem generalem. Sed eamdem diversimode explicarunt. Alii, cum *Gullielmo Altissiodorensi,* docuerunt hominem peccata detestari per virtutem cui peccata opponuntur, v. g., ebrietatem per temperantiam.—Alii cum *Durando* dixerunt poenitentiam esse caritatis exercitium, quatenus de peccato dolet homo, prout est Dei offensa.—Alii cum *Cajetano* tenuerunt poenitentiam esse caritatis exercitium, ut supra; esse praeterea, religionis exercitium, prout per peccati confessionem agnoscitur Dei dominium, et esse justitiae vindicativae actum, prout satisfactionem praestat[28].

Non obstantibus hisce opinionibus, *communis* evasit sententia tenens poenitentiam virtutem esse *specialem.* Pro hac sententia sunt magni Magistri Alexander Halensis, S. Bonaventura, S. Thomas, Ven. Scotus, qui tamen nonnullas facit distinctiones, de quibus breviter dicetur aliquid, omnes moderni, ni fallor.

Alexander Halensis, S. Bonaventurae Magister, Doctor Irrefragabilis et Theologorum Patriarcha vocatus, mortuus a. 1245, in sua *Summa Theologiae,* P. IV, q. 54, membro I, art. 2, sibi

[28] Ibid., pag. 477; Pesch, De Poenit., n. 93.

proponit hanc questionem: Utrum poenitentia sit virtus specialis? eamque modo affirmativo solvit: "Quia (poenitentia) respicit (peccatum), ut malum proprium contra Deum perpetratum, et actum elicit specialem, convenientius dicenda est virtus specialis"[29]. Et hanc opinionem amplexi sunt ceteri Doctores praecipui, ut statim videbitur.

Seraphico Doctori, quaestionem investiganti, "Utrum poenitentia sit virtus generalis, an specialis", non placet positio eorum, qui "voluerunt dicere, quod est virtus generalis, et est pars justitiae generalis, cujus est facere bonum et declinare a malo . . . Quia, etsi poenitentia respicit malum in communi, tamen respicit sub propria ratione et habet actum specialem, qui indiget virtute non tantum praecipiente, sed aliciente; ut, sicut ira per zelum, quae detestatur omne peccatum in proximo, est specialis virtus, quia respicit illud sub ratione digni poena; et obedientia specialis virtus, quia respicit exequendum sub ratione mandati: sic etiam poenitentia specialis virtus, quia respicit sub ratione mali proprii a se contra Deum perpetrati, prout homo ex hoc dignus est puniri".

Hac ratione solvit Seraphicus hanc objectionem: Poenitentia non restringitur ad speciale peccatum; ergo non est virtus specialis. "Ad illud quod objicitur de objecto,— ait Seraphicus,— dicendum, quod etsi non contrahatur ad speciale peccatum, tamen illud considerat sub speciali et propria ratione, hoc est, in quantum a se perpetratum et Dei offensivum, cui vult reconciliari et emendam facere; ideo est virtus specialis, quia virtus ponitur generalis, non ratione objecti, quod est materiale, sed secundum quod habet rationem motivi"[30].

Angelicus Doctor, intimus Seraphici Doctoris amicus, sic communem sententiam explicat et probat: "Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, sc., operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod poenitentia est specialis virtus"[31].

---

[29] Edit. Nurembergcr facta, a. 1482, cujus exemplar prostat apud Collegium S. Bonaventurae, Allegany, N. Y., et ex quo notas desumpsi.
[30] S. Bonav., Op. Om., Quarach., tom. IV, pag. 321.
[31] Summ. Theol., 3, q. 85, a. 2.

Duabus ergo rationibus probant praefati Doctores poenitentiam virtutem specialem esse. Prima: quia poenitentia est actus specialiter bonus, difficilis et laudabilis. Secunda: quia poenitentia motivum habet speciale formale, sc., odio habet peccatum, quia et quatenus est Dei offensa. Ceterae virtutes peccatum non considerant, ut Dei offensivum, sed tamquam a ratione (fide illustrata) deforme.

Hic notandum occurrit *Doctori Profundo,* Fr. Richardo a Media Villa, O. F. M., mortuo c. a. 1300, non placere dicere poenitentiae objectum "esse peccatum sub ratione qua est transgressio divinae legis vindicabilis et expiabilis per actum ipsius poenitentiae"[32]. Quidquid sit de hoc, in ceteris opinionem sequitur communem.

Ven. Doctor *Subtilis et Marianus,* O. F. M., loquendo hisce de rebus, consentit praedecessorum Doctorum expositionibus, sed nonnullas facit distinctiones, quas mihi liceat notare.

In primis, Doctor *quadrupliciter* poenitentiam definit; quia, secundum ipsum, poenitentiae vocabulum quatuor includit: "Vindicare commissum; Detestari commissum; Acceptare poenam inflictam; Patienter ferre poenam inflictam"[33]. Ex hisce, quatuor sequentes definitiones vel descriptiones efformat, quarum "*prima* est ista: Poenitere est vindicare peccatum a se commissum . . . *Secunda* descriptio est: Poenitere est detestari vel odire peccatum a se commissum, vel displiscentiam habere de hoc peccato a se commisso . . . *Tertia* descriptio: Poenitere est poenam inflictam pro peccato suo commisso gratanter accipere . . . *Quarta* descriptio est: Poenitere est poenam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre" (Ibid.).

PRIMA consideratur poenitentiae significatio.—(a) Poenitentia primo sensu desumpta est *virtus;* "quia potest esse actus conformis rectae rationi" fide illustratae (Oxon. IV, d. 14, q. 2, n. 2).

(b) Poenitentia hoc sensu sumpta est virtus *specialis;* "quia ille actus natus est habere speciale objectum, et speciales circumstantias; objectum, peccatum vindicabile; circumstantias, quae conveniunt actui, ut recte tendenti in tale objectum, sc., finem, modum et hujusmodi" (Ibid. nn. 3-4).

[32] Scriptum super IV Sent., dist. 14, a. 1, Venetiis, a. 1489.
[33] Oxon. IV, d. 14, q. 1, n. 14.

(c) Poenitentia primo sensu desumpta *non* est virtus *intellectualis;* "quia virtus intellectualis dicit verum esse aut non verum esse sive in speculandis sive in agendis; haec autem (poenitentia) inclinat ad sic agendum, non ad dictandum sic esse agendum; ergo" (Ibid. n. 5).

N. B.—Quod Ven. Scotus probat generaliter, Catech. Rom., *P. II, cap. 5, n. 6,* probat quoad *fidem* specialiter; et ratio est, quia fides poenitentiam *antecedit:* "Verum in eo, quem poenitet, fides poenitentiam antecedat necesse est; neque enim potest quisque se ad Deum convertere, qui fide careat; ex quo fit ut nullo modo poenitentiae pars recte dici possit fides".

(d) Poenitentia primo sensu desumpta est actus virtutis *justitiae,* et quidem justitiae *vindicativae.* Poenitentia enim non est actus "virtutis appetitivae ordinantis ad seipsum, cujusmodi sunt temperantia et fortitudo; ergo est actus virtutis ordinantis ad alterum, cujusmodi est justitia. Hoc argumentum tenet, supponendo illam famosam virtutum appetitivarum distinctionem, quod ad duo genera omnino reducantur" (Oxon. IV, d. 14, q. 2, n. 5).

Sed "sub justitia continetur *amicitia* . . . Numquid igitur actus iste poenitendi est actus amicitiae?" (n. 6).

Ad hos solvendum notari necesse est in poenitentia intendi peccati punitionem legisque infractae restaurationem. Non itaque reducitur ad amicitiam, sed ad justitiam, et quidem vindicativam, poenitentiae virtus. "Respondeo—ait Doctor—*vindicare,* etiam quando est actus ordinatus, non est actus amicitiae ad illum in quem vindicatur, quia vindicta proprie respicit correspondentiam poenae ad culpam secundum legem" (Ib. n. 7).

"Est ergo iste actus justitiae punitivae, quae distinguitur contra justitiam commutativam, et contra amicitiam" (Ib. n. 8).

Ex hisce tamen verbis concludendum non est, ut nonnulli faciunt, Ven. Subtilem omnino denegare poenitentiam quodam modo reduci posse ad justitiam commutativam. Ait enim Dr., *Oxon. d. 16, q. 1, n. 5:* "Justitia commutativa respicit aequalitatem in commutatione, non rei, sed magis secundum rectam rationem; ergo hoc modo justitia punitiva, quae est *quaedam commutativa in punitione,* respicit poenam aequalem".

SECUNDA ***consideratur poenitentiae significatio.***—(a) Poenitentia secundo sensu desumpta est ***virtus:*** "quia potest esse actus electivus concors rectae rationi" (Oxon. IV, d. 14, q. 2, n. 11).

(b) Poenitentia secundo sensu desumpta esse potest actus ***cujuscumque virtutis appetitivae:*** "quaecumque enim virtus inclinat ad complacendum de bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, et ad displiscendum de malo inhonesto opposito." Quod autem illa virtus appetitiva necesse sit, ex eo probatur, "quia nihil est principium odiendi, sicut et amandi, nisi virtus appetitiva" (Ib.).

TERTIA ***consideratur poenitentiae significatio.***—(a) Poenitentia tertio sensu desumpta est ***virtus:*** "quia concors rectae rationi" (Ib. n. 12).

(b) Poenitentia tertio sensu desumpta esse potest actus ***cujuscumque*** virtutis ***appetitivae:*** "quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquod objectum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum; per diversas autem virtutes potest acceptari aliud et aliud objectum in ordine ad hoc quod possit poena inflicta pro peccato acceptari" (Ib.). Deinde Doctor adducit exempla desumpta de virtutibus caritatis, spei, timoris, amititiae.

QUARTA ***consideratur poenitentiae significatio.***—"De quarto sc., patienter ferre poenam inflictam, patet quod potest esse actus ***virtutis,*** et ***specialis*** virtutis, (sc.) patientiae" (Ib.).

QUAESTIUNCULA II.

Concordant ergo magni DD. in asserendo poenitentiam, quatenus est odium peccati, quia est offensa Dei, esse virtutem specialem. Sed ad quamnam virtutem ***cardinalem*** reduci potest?

Ad hanc solvendam quaestionem, prae oculis habendum est, poenitentiam intendere reparationem injuriae Deo illatae per hominem. Jamvero virtus cardinalis quae intendit et exigit injuriarum reparationem non nisi justitia est; ideoque ad justitiam poenitentia reduci potest. Ideo Angelicus Doctor ait: "Utrumque (recompensatio et retributio) ad materiam justitiae pertinet, quia utrumque est commutatio quaedam; unde manifestum est, quod poenitentia, secundum quod virtus est, est pars justitiae"[34].

Attamen bene notandum est justitiam esse inter aequales et

[34] Summ. Theol., 3, q. 85, a. 3.

aequalitatem servare. Ex hoc deducitur differentia justitiam inter et poenitentiam. Poenitentia intendit quidem reparationem injuriae, sed non inter aequales; nam Deus Dominus est, homo peccator servus; Deus est totum, homo nihil.—Altera differentia consistit in eo quod peccator quidquam aequale Deo reddere nequit pro injuria peccati. Si enim per aliquem humanum actum redditur aliqualis reparatio Domino, hoc pendet a divina misericordia quae, propter Domini nostri Jesu Christi merita, hujusmodi actum acceptat ut sufficientem reparationem. "Sciendum est . . . —ait Angelicus,—secundum Philosophum, in 5 Eth. (cap. 6), dupliciter dicitur justum, sc., simpliciter et secundum quid: simpliciter justum est inter aequales; eo quod justitia est aequalitas quaedam, quod ipse vocat politicum, vel civile, eo quod omnes cives aequales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes; justum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro, et tale justum consideratur in poenitentia; unde poenitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad Dominum, secundum illud Ps. 122: Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri; sicut filius ad patrem, secundum illud Lc. 15: Pater, peccavi in caelum et coram te; et sicut uxor ad virum, secundum illud Hierem., 3: Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus"[35].

Etiam S. Bonaventura hunc sentiendi modum approbat. Ait enim: "quidam voluerunt dicere, quod poenitentia non est aliud quam caritas secundum substantiam, differens secundum statum. Dicitur enim caritas, in quantum amat Deum, sed poenitentia, in quantum resurgens, et ejus est detestari malum in quantum Dei offensivum.—Sed certe si timor, qui facit declinare a malo, differt a caritate; non video, quare poenitentia non differat. Sed quia habitus cognoscuntur per actus, non quoscumque, sed formales sive elicitos et primos; notandum, poenitentiae actus est detestari culpam sive peccatum, quia Dei offensivum, et hoc in reconciliationem sive emendam. Et quia haec ratio est ipsius justitiae, dico, quod poenitentia est virtus cardinalis, contenta

[35] Ibid.

sub justitia"[36]. Paulo infra S. Doctor, quamvis dubitative, enumerat poenitentiam inter partes potentiales ipsius justitiae. "Sicut enim fortitudo multos habet ramos ab una radice procedentes, ut patientiam, perseverantiam, fiduciam, quae induunt unam rationem; sic etiam justitia, ut puta largitatem, pietatem, humilitatem, obedientiam, poenitentiam, quae forte sunt partes potentiales ipsius virtutis justitiae"[37]. Pars potentialis (quae etiam dicitur virtus annexa) est virtus cui convenit tantum pars definitionis alterius virtutis, non autem tota ratio seu definitio.

Poenitentia igitur reducitur ad justitiae virtutem, cujus est pars potentialis. In hoc conveniunt omnes Scholae. Tantummodo remanet aliquod dubiolum circa justitiae *speciem,* ad quam reducenda sit poenitentia. Alii cum D. Thoma poenitentiam collocant in justitia *commutativa;* alii cum Ven. Scoto in justitia *vindicativa,* seu punitiva, sicut ipse ait. Sed Ven. Scotus, ut supra notavi, admittit poenitentiam aliquo modo reduci posse ad justitiam commutativam. Ex altera vero parte inclyta Schola thomista non tenet poenitentiam esse stricte justitiam commutativam, sed tantum tenet esse partem potentialem illius justitiae. Non ergo fervor scholae nos faciat videre irreconciliabilem oppositionem. Haec enim revera non adest, cum altera opinio (Ven. Scoti) consideret peccati punibilitatem, altera (thomista) punitionis quantitatem, ut mihi videtur. Peccatum puniendum est, ait Ven. Scotus; Thomistae cum Angelico dicunt: puniendum est ad aequalitatem, in quantum possibile est. Aliis verbis, poenitentia aliquid habet ex justitia non tantum commutativa, sed etiam punitiva. Estne hic contradictio aliqua?

5. *Proprii peccati detestatio.*

In poenitentiae definitione dicitur poenitentiam hominem inclinare *ad personalis* seu *proprii detestationem peccati.* Et merito; nam poenitentia est retractatio quaedam; sed id solum proprie retractari potest, quod fuit propria voluntate commissum; ergo poenitentia versatur circa acta propria voluntate commissa, et quidem circa acta mala, cum agatur de retractatione. Atqui acta mala propria voluntate posita non sunt nisi peccata personalia; ergo proprie loquendo poenitentia haberi nequit nisi de peccatis personalibus. Sic magni theologi sentiunt. Audiatur,

[36] Op. Om., tom. IV, pag. 322. [37] Ibid.

v. g., D. Thomas: "Proprius actus ejus (poenitentiae) est in objectum proprium, quod est peccatum commissum; et ideo ejus actus principalis, sc., contritio, secundum suam speciem, respicit tantum peccatum praeteritum" (Sent. IV, d. 17, q. 2, a. 2, sol. 4). "Contritio (autem) est dolor respiciens et quodammodo comminuens voluntatis duritiam; et ideo de illis solis peccatis esse potest, quae ex duritia nostrae voluntatis in nos proveniunt" (Ib. sol. 2). A poenitentia ergo proprie dicta excluduntur tam peccata aliena quam peccatum originale; quia facta aliena non possumus retractare, et pariter nequimus alterius personae mutare voluntatem, eo sensu de quo nunc agimus. Habere tamen possumus poenitentiam large sumptam de peccatis alienis, immo de peccato originali, i. e., odium et displiscentiam de illis. Ad rem S. Thomas: "Poenitentia est quodammodo dė quolibet peccatorum genere: non tamen eodem modo." De peccato mortali habemus poenitentiam proprie dictam; "quia proprie dicimur poenitere de his, quae nostra voluntate commisimus . . . De peccatis autem venialibus est quidem poenitentia proprie, in quantum sunt nostra voluntate facta." De peccato vero originali non habemus poenitentiam proprie dictam; "quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum . . . In quantum tamen large accipitur poenitentia pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali, sicut loquitur August., in lib. de Poenit. (seu De vera et falsa poenit., cap. 6)"[38].

6. *De emendatione.*

Poenitentiae virtus inclinat etiam ad firmum *emendationis* et satisfactionis propositum. Poenitentia quidem intendit primario peccati praeteriti destructionem. "Sed ex consequenti poenitens etiam odit peccatum futurum; nam eadem malitia quae inest in peccato praeterito, sc., injuria et offensa Dei, inest etiam in peccato futuro. Ergo omnis contritio virtualiter quoque continet propositum non peccandi de cetero. Ita docet S. Thomas: 'Proprius actus ejus (poenitentiae) est in objectum proprium, quod est peccatum commissum; et ideo ejus actus principalis, sc., contritio, secundum suam speciem, respicit tantum peccatum praeteritum; sed ex consequenti respicit futurum, secundum quod (poenitentia) habet aliquid de prudentiae adjunctum, et non

[38] Summ. Theol., 3, q. 84, a. 2, ad 3.

tantum in illud ratione propriae speciei movetur; et propter hoc, ille, qui conteritur, dolet de peccato praeterito et cavet futurum' "[39]. Homo itaque revera poenitens non tantum dolere debet de peccatis commissis, sed etiam debet cavere futura. Unde Conc. Trid., *sess. 14, cap. 4,* docet quod "contritio . . . animi dolor est ac detestatio de peccato commisso, *cum proposito non peccandi de cetero*". Hanc contritionis descriptionem Catech. Rom. sic evolvit: "Natura . . . et ratio plane ostendunt duo illa ad contritionem in primis esse necessaria, dolorem sc., peccati admissi et propositum cautionemque ne quid hujusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, et doleat oportet quod in eum injuriosus et contumeliosus fuerit; et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam laesisse videatur"[40]. Jure ergo meritoque *Tertullianus* poenitentiam, quae secum non affert emendationem vitae, vanam appellare non dubitavit: "Ubi metus nullus,—ait,—emendatio proinde nulla; ubi emendatio nulla, poenitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est, homini saluti"[41]. Ex hoc tamen nemo deducat non esse vere poenitentem, qui iterum peccat. Si non excludit peccandi voluntatem, certe non est vere poenitens, immo non est poenitens ullo modo. Si vero excludit illam voluntatem, tunc est vere poenitens; quia ponit elementum necessario requisitum, quamvis postea fragilitate humana iterum in peccatum labatur.

Sed vere poenitens non tantum cavere debet peccatum, sed etiam occasiones peccati, maxime proximas; debet etiam affectus moderari atque conari positivam acquirere sanctitatem per virtutum praxim propriarumque obligationum adimpletionem. Sic expresse statuitur apud prophetam Ezech.: "Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur" (18, 21). Idem repetit v. 27: "Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit". Iterum v. 31: "Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiri-

---

[39] Apud Pesch, Praelect. Dogm., vol. VII, p. II, n. 100, edit. 3.
[40] P. II, cap. 5, n. 32.
[41] De Poenit., cap. II.

tum novum." Facere judicium et justitiam, facere cor novum et spiritum novum indicant, ut videtur, peccatorem conamina facere debere positivam sanctitatem acquirendi. Sic tantum "vita vivet et non morietur".

7. *Satisfactio pro peccato.*

Praeter emendationem vitae, poenitentia exigit etiam *satisfactionem* pro peccatis.—Satisfacere est facere satis, i. e., facere quantum requiritur ad reparandum rem debitam aut injuriam illatam, seu ut sapienter docet Catech. Rom., satisfactio est, *"rei debitae integra solutio;* nam quod satis est, ei videtur nihil deesse. Quare cum de gratiae reconciliatione loquimur, idem satisfactio significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam injuriam satis esse possit; atque ita satisfactio nihil aliud est quam injuriae alteri illatae compensatio. Quod autem ad hunc locum pertinet, satisfactionis nomen divinarum rerum Doctores ad declarandam eam compensationem usurparunt, cum homo peccatis commissis Deo aliquid persolvit"[42]. Itaque satisfactio est injuriae Deo illatae compensatio voluntaria.

Haec compensatio facienda est. Nam omnis virtus duo includit momenta: aversionem a malo sibi opposito et prosecutionem boni sibi convenientis. Poenitentia igitur, cum sit et ipsa virtus, hoc facere debet: debet repellere malum bonumque prosequi. "Malum (autem) peccati est injuria Deo illata, bonum oppositum est compensatio injuriae. Unde poenitentia amplectitur quidquid per modum compensationis Deo offerri potest"[43]. Etenim peccator transgressus est justitiam; ergo non tantum debet a peccato cessare, sed etiam compensationem facere. "Poenitentia,—ait Angelicus,—non habet quod sit specialis virtus, ex eo quod dolet de malo patrato (ad quod sufficeret caritas); sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito; emendatio autem offensae contra aliquem commissae non fit per solam cessationem offensae, sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte ejus cui offendit, utpote cum

---

[42] P. II, cap. 5, n. 62.

[43] Pesch, Praelect. Dogm., vol. VII, p. II, n. 102.

satisfacit; retributio ex parte ejus, in quem est offensa commissa"[44].

Hic quaerere liceat: quaenam sunt opera quibus Deo satisfacere possit peccator? Illa opera reducere possumus ad tria capita cum *Conc. Trid.:* a) primum genus constituunt *poenae a nobis sponte susceptae* pro vindicando peccato; b) *poenae nobis impositae a sacerdote,* quando sanctum Poenitentiae sacramentum recipimus, secundum constituunt genus; c) tertium genus sunt *temporalia flagella a Deo inflicta,* et a nobis patienter tolerata. Docet enim Trid., *sess. 14, cap. 9,* "tantum esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus". Quam doctrinam anathemate munivit *can. 13, ejusdem sess.:* "S. q. d. pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte suscepitis ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam Poenitentiam esse novam vitam, A. S.".

Sed forsitam alicui occurret antiqua Protestantium objectio, quae sic se habet: Satisfactione nostra obscuratur vel imminuitur, saltem ex parte, vis meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi; ergo de satisfactione neque verbum fieri potest apud veros christianos.

Sed nullus est timor illius obscurationis vel imminutionis; nam *tota* vis nostrae satisfactionis a Domino nostro Jesu Christo pendet, qui est Pontifex animarum nostrarum, quique ita vivide a Conc. Trid. describitur: "Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo confortante qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre." Omnia ergo

[44] Summ. Theol., 3, q. 85, a. 3.

per Christum Dominum fiunt. Et ideo "nemo unquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari vel aliqua ex parte imminui: quod dum novatores intelligere volunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnis satisfactionis vim et usum tollant"[45]. Nulla ergo obscuratio vel imminutio, nulla quoque gloriatio.

SCHOLION.

De lutherana poenitentiae definitione.

Ex doctrina superius exposita, jam videri potest quantum a veritate aberret *Lutherus* cum suis generaliter, quando asserit poenitentiam consistere *tantummodo in resipiscentia,* seu in *sola* vitae mutatione, quin teneatur peccator anteacta peccata detestari. Cath. Rom., inter varias significationes poenitentiae nomini affixas, commemorat sequentem: "Alii, a catholica fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur Poenitentiam nullam praeteriti temporis rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiunt"[46]. Cum haec doctrina lutherana longissime distet a catholico dogmate, ideo jure meritoque a *Leone X* damnata fuit. En doctrina a Luthero proposita et a Papa damnata: "Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus huc usque data praestantius; de cetero non facere summa poenitentia; optima poenitentia, nova vita"[47]. Itaque proverbium illud non verissimum est, sed falsissimum. Non negatur quidem poenitentiam includere resipiscentiam; negatur poenitentiam esse resipiscentiam *unice.* Sed liceat nonnulla alia addere verba circa rem tanti momenti.

Lutherus in suo sermone de poenitentia, a. 1518 habito, dicit sacram Scripturam poenitentiam non vocare dolorem, sed mentis mutationem atque consilii: "In usu Scripturae sacrae poenitentia non dicitur dolor, sed mutatio mentis et consilii". Ex hoc Lutherus deducit poenitentiam esse novam vitam tantummodo. Sed contra,

I. *Script.*—a) *Vet. Test.*—Contra hoc commentum lutheranum notandum est quod sacra Scriptura conjungit utrumque elementum, sc., detestationem peccati commissi et vitae emenda-

---

[45] Trid., sess. 14, cap. 8.
[46] P. II, cap. 5, n. 2.
[47] Denz.-Ban., n. 747.

tionem; et nullibi dicit poenitentiam importare *tantummodo* novae vitae institutionem. Audiatur, v. g., David rex, poenitentium exemplar perfectissimum: "Sacrificium Deo spiritus *contribulatus:* cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies"[48]. Si cor illud erat contritum, i. e., minutatim divisum, per similitudinem a rebus corporeis deductam; si cor illud erat humiliatum et spiritus ille contribulatus, proculdubio erat etiam dolore plenus poenitens ille qui voce magna exclamavit: "Peccavi Domino"! cum a Natham propheta, parabolam de ove parvula et unica proponente, audivit terribile illud: "*Tu* es ille vir"![49].—*Ezech.* propheta exhortans domum Israel ad poenitentiam non exigit tantummodo renovationem spiritus atque cordis, sed exigit etiam odium praeteritarum culparum; immo hoc exigit primum, cum de eo primum mentionem faciat, cum dicit: "Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit in ruinam. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras in quibus praevaricati estis". Et tantummodo, postquam docuit Israel agendi modum relate ad praeterita—projectionem iniquitatum—, transit ad docendum vitae renovationem: "Facite vobis —inquit—cor novum et spiritum novum"[50].—Tandem idipsum "maxime confirmant illi Sanctorum Patrum clamores quos in sacris Litteris frequenter profusos esse legimus"[51].

b) *Nov. Test.*—Cum Veteri concordat Novum Testamentum. *S. Paulus,* e. g., ad Cor. scribens haec habet: "Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet; etsi poeniteret, videns quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristavit nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati estis secundum Deum, ut nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur"[52]. Apostolus fatetur epistolam illam Corinthiis dolori atque tristitiae fuisse; de quo non poenitet, immo gaudet non quia contristati sunt, sed quia contristati sunt ad poenitentiam. Ideoque Apostolus non habet de quo poenitere, immo habet de quo gaudere cum tristitia illa adeo fructifera sit, ut salutem aeternam producat. S. Paulus igitur dolorem con-

48 Ps. 50, 19.
49 II Reg. 12, 1-14.
50 Ezech., 18, 30-31.
51 Catech. Rom., P. II, cap. 5, n. 23.
52 II Cor. 7, 8-10.

siderat tamquam elementum salutaris poenitentiae, vel saltem non excludit ex poenitentiae notione (sicut facit Lutherus), adeo ut ad poenitentiam exigat tantummodo mentis mutationem atque cordis in meliorem frugem.

II. *Auct. Human.*—Recesit ergo Lutherus a notione poenitentiae in sacris Litteris insinuata. Et non tantum recesit ab auctoritate divina, verum etiam ab ipsa auctoritate humana, quae pariter dolorem de prave commissis enumerat tamquam poenitentiae elementum. Citemus nonnullos saltem auctores ad nostram sanctam Religionem non pertinentes, ut eorum auctoritas suspecta non sit Lutheranis. De auctoribus nostris dicere possunt: Cicero pro domo sua.

a) *Gallus Asinius* et *Largus Licinius,* pagani, docent nos poenitere, "cum ea quae ipsi fecimus . . . nobis post *incipiunt displacere,* sententiamque in iis nostram mutamus"[53]. Docent ergo mutationem utique, sed pariter clare indicant displiscentiam.

b) Ipse *Ovidius,* poetica servata sublimitate, rigidam etiam servat conceptuum accuratamque expressionem, dum canit:

"Saepe levant (Di) poenas, ereptaque lumina reddunt,
Quum bene peccati poenituisse vident.
Poenitet o! si quid miserorum creditur ulli;
Poenitet, et facto torqueor ipse meo!
Quumque sit exilium magis est mihi culpa dolori;
Estque pati poenas, quas meruisse, minus.
Ut mihi Di faveant, quibus est manifestior ipse,
Poena potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne sim, quum venerit, exul;
Ne peccarim, mors quoque non faciet.
Nihil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
De nive manantis more liquescit aquae.
Estur ut occulta vitiata terenide navis;
Aequorei scopulos ut cavat unda salis;
Roditur ut scabra positum rubigene ferrum;
Conditus ut tineae carpitur ore liber;
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quam vita relinquent;
Quique dolet, citius, quam dolor, ipse cadet.
Hoc mihi si Superi, quorum sumus omnia, credent,
Forsitam exigua dignus habebor ope;
Inque locum Scythico vacum mutabor ab arcu:
Plus isto, duri, si precer, oris ero"[54].

---

[53] Tanquerey, De Poenit., n. 6. [54] Lib. I ex Ponto, Epist. I, v. 57-80.

In primis Ovidius docet deos hominem punire propter peccatum, sed punitionem cessare statim ac vident ipsum revera poenituisse. Evidens autem poenitentiae signum est *dolor:* "facto *torqueor* ipse meo", ut de se fatetur Ovidius. Hunc dolorem postea perpulchris describit figuris: Mens dolore consumitur sicut nix ad ardorem solis; sicut navis terenide (tinea maritima); sicut scopuli sale aequoreo seu marino; sicut ferrum rubigine; sicut liber consumitur tinea. Dolor ille est sicut perpetuus morsus, sicut perpetuus stimulus.—Dolor ille est vehemens: "Torqueor", dicit Ovidius; qui enim torquetur, non parum immo multum patiatur oportet. Est spiritualis non corporeus: "Nil igitur mirum—ait Poeta—si MENS mihi tabida facta .... liquescit". Producitur magis ex horrore *culpae,* quam ex poenis inflictis; nam ex ipsis inflictis poenis, ex ipsissimo exilio proveniens dolor minor est pro Nasone quam dolor ex culpa proveniens; magis crimine dolet quam poenis:

"Quumque sit exilium, *magis* est *mihi CULPA dolori;*
Estque pati poenas, quam meruisse, minus."

Luce clarius itaque docet Ovidius ad poenitentiam dolorem pertinere.

III. *Ratio.*—Ratio dictat idem quod ab auctoritate audivimus. Si quis enim ab alio veniam obtinere velit, naturale prorsus est detestationem, adeoque dolorem, illatae injuriae ostendere quoquo modo, ut persona offensa injuriam condonare velit, ostenso dolore mota.

Neque auctoritas ergo neque ratio lutheranis favet, ideoque nullimodo admitti potest poenitentiae notio, quam docent, retinendaque est antiqua definitio, quae, praeter emendationem, exigit quoque peccatorum detestationem.

Unum subterfugium lutheranis restat: verbi poenitentiae *translatio.* Poenitentia—dicunt—est translatio graeci verbi "metanoia", quod idem est ac mentis mutatio. Hic autem nulla fit mentio de dolore. Ergo.

Resp.: transeat. Theologi enim non de verbis, sed de conceptibus disputant. Jamvero ex usu loquendi auctorum tam sacrorum quam profanorum poenitentia dolorem tristitiamque

de praeteritis peccatis etiam includit; ideoque non nimis sitendum est in ipsa verbi translatione. Hanc esse mentem auctorum candide fassi sunt vel ipsi moderni Protestantes in Lexicis ab ipsis editis. Cfr., v. g., *Schleusner, Robinson, Thayner.*

ARTICULUS II.

De Poenitentia ut sacramento.

1. *Institutionis saramenti poenitentiae causae praecipuae.*

Postquam breviter explanata fuit poenitentia, quatenus virtus est, ad complementum praenotionum, aliquantulum consideranda est poenitentia, prout est sacramentum Novae Legis. Et in primis aliquid de causis dicamus.

Divina misericordia nobis contulit hoc sacramentum, a) ad nostris medendum infirmitatibus spiritualibus, b) ut minus anxii atque peccatiores de peccatorum remissione essemus, et c) ut reconciliationis nostrae cum Deo beneficium Christo Jesu, Salvatori et Pontifici nostro referremus. "In primis autem—ait Catech. Rom., *P. II, cap. 5, n. 10*—explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus Dominus poenitentiam in numerum sacramentorum referri voluerit. Hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, quum ait: 'Si impius egerit poenitentiam . . .' minus debitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima poenitentia opus esset, quum de suo cuique judicio in iis, quae agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic sollicitudini subveniret, poenitentiae sacramentum instituit, quo per sacerdotis absolutionem peccata nostra nobis remissa esse confideremus, conscientiaeque nostrae ob fidem, quae sacramentorum virtuti merito habenda est, peccatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est vox sacerdotis, peccata nobis legitime condonantis, quam Christi Domini, qui ait paralytico: 'Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua . . . .' Deinde vero, quum nemo salutem, nisi per Christum, ejusque passionis beneficio, consequi possit, consentaneum, nobisque utilissimum fuit, ejusmodi sacramentum institui, cujus vi et efficatia Christi sanguis ad nos defluens peccata post baptismum admissa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre prefiteremur".

2. *Poenitentiae sacramenti definitio.*

Institutionis sacramenti Poenitentiae causis inspectis, jam nunc quid Poenitentiae sacramentum sit, nobis videndum est.

Poenitentiae sacramentum definiri potest: *"Sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum, quo per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa, gratiaque sanans infunditur*[55].

Evolvitur definitio.

Poenitentia est sacramentum Novae Legis. — Huic vocabulo "sacramentum" variae sunt significationes, quae noscantur oportet, ut sic vitetur confusio, cognito sensu in quo sumitur hic hujusmodi verbum.

Antiquitus, praesertim apud *profanos* auctores, sacramentum significabat aliquando *juramentum,* vel etiam *depositum sacrum,* i. e., pecuniam, quam litigantes de aliqua re deponebant apud pontificem, eo pacto ut victus suam relinqueret partem ad *usus sacros.* Hic non accipitur praefata vox sensu indicato.—Antiquitus etiam, apud *ecclesiasticos* scriptores praesertim, vox "sacramentum" sumebatur pro aliquo *signo sacro,* pro aliqua *re sacra,* vel etiam pro aliquo *ritu sacro et symbolico,* aut pro aliqua *doctrina religiosa et secreta,* quae solis initiatis seu jam baptizatis a pontifice proponebatur. Hic sumitur vox "sacramentum", quatenus significat signum sacrum, rem sacram vel ritum sacrum. Attamen notandum est quod antiquitus vox "sacramentum", etiam quando significat rem sacram, sumebatur aut pro *qualibet* re, *quocumque* modo sacra, aut pro re sacra *sacrante,* quae sc., hominem *sanctificabat,* seu quae secum habebat virtutem gratiam sanctificantem homini conferendi.

In praesenti scripto vox "sacramentum" sumitur pro re sacra *sacrante* seu quatenus sanctificat hominem per gratiam sanctificantem; quae res Christum Dominum habet auctorem. Et in hoc sensu theologi communiter sic sacramentum definiunt: *Signum sensibile, gratiae significativum et productivum, a Christo permanenter institutum.*

Sacramentum est *signum,* quia nobis indicat exterius, quod

[55] Cfr. Decr. Ad Armenos; Conc. Trid. sess. 14, can. 1, et Codex Juris Can., can. 870.

interius seu in anima fit: "Illud enim signum esse, sanctus Augustinus testatur, quod praeter rem, quam sensibus objicit, efficit etiam, ut ex se alterius rei cognitionem capiamus, sicut ex vestigio, quod terrae impressum intuemur, transisse aliquem, cujus vestigium apparet, facile cogniscitur"[56]. Et hac de causa sacramentum est signum; "siquidem specie quadam et similitudine id nobis declarat, quod Deus in animis nostris sua virtute, quae sensu percipi non potest, efficit. Baptismus enim (ut, quod docetur, exemplo notius fiat), cum, adhibitis certis et solemnibus verbis, aqua extrinsecus abluimur, hoc significat: Spiritus Sancti virtute omnem peccati maculam et turpitudinem interius elui, et animas nostras praeclaro illo caelestis justitiae dono augeri atque ornari; simulque ea corporis ablutio . . . . illud in animo efficit quod significat"[57].

Quod sacramentum sit signum, non tantum constat ex simpliciti ratiocinatione, sed etiam *ex sacris Litteris:* "Ex Scripturis aperte colligitur Sacramentum inter signa numerandum esse . . . Apostolus enim, cum affirmat nos omnes, qui baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizatos esse, licet cognoscere baptismum hujus rei significationem habere, nimirum, ut ait idem Apostolus, nos consepultos esse cum illo per baptismum in mortem"[58].

Sed ad quodnam signi genus adscribendum est sacramentum, quia plura dantur signa? Re quidem vera plura dantur signa: alia sunt *naturalia,* quae sc., ex sua natura aliquid aliud significant, puta fumus ignem; alia sunt *arbitraria,* quae sc., tantum ex pacto aliquid significant, ut oliva pacem; alia sunt *mixta,* quae dicuntur ea, quae partim ex se partim ex pacto aliquid denotant. Ex communi theologorum consensu, sacramentum reducitur ad ultimum signi genus, adeo ut sit, prout *Hûgo a S. Victore* loquitur, "ex similitude repraesentans et ex institutione significans et ex sanctificatione continens aliquem invisibilem et spiritualem gratiam"[59], et non tantum continens, sed et *conferens.*

Sacramentum est signum sensibile, gratiae significativum et productivum. Adjectivum "sensibile" pleonasticum est, ideoque stricte loquendo non requiritur ad definitionem; sed additur con-

---

[56] Catech. Rom., P. II, cap. 1, n. 5.
[57] Ibid. n. 6.
[58] Ibid. 7.
[59] Apud Tanquerey, De Sacram. in genere, pag. 185, edit. 14.

venienter terminus ille, quia "ad instruendum populum aptissimus est"[60].

Gratia quam repraesentat et producit sacramentum duplex est: gratia sanctificans et gratia sacramentalis. Gratia sanctificans seu habitualis est qualitas supernaturalis "qua justi et filii Dei effecti, aeternae quoque salutis instituimur" seu "divina qualitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidem et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque pulchriores et splendidiores reddit"[61]. — Sacramentalis gratia est jus ad gratias actuales suo tempore conferendas a Deo, juxta communem sententiam.

Quod autem sacramentum sit *significativum,* patet; nam secus non esset signum. Sed peculiaritas signi sacramentalis in eo est, quod *producat* rem signatam, i. e., quod producat gratiam, quam significat. Praeter signa, quae consensu hominum et voluntate sunt, ait *Catech. Rom.,* "alia quaedam sunt divinitus data, quorum tamen non unum genus esse omnes consentiunt. Alia enim signa ob eam tantum rem a Deo hominibus commendata sunt, ut aliquid *significarent* vel admonerent, cujusmodi fuerunt legis purificationes, panis azymus, et alia permulta, quae ad mosaici cultus caeremonias pertinebant; alia vero Deus instituit, quae non significandi modo sed *efficiendi* etiam vim habent; atque hoc posteriori signorum genere Sacramenta Novae Legis numeranda esse liquido apparet. Signa enim sunt divinitus tradita, non ab hominibus inventa, quae rei cujuspiam sacrae, quam declarant, efficientiam in se continere certo credimus"[62].

Sed quomodo sacramenta conferunt gratiam? Eam conferunt ex opera operato, i. e., eo ipso quod sacer ritus valide peragitur, ritus ipse gratiam recipienti dat. Efficacia ritus illius seu ejus vis causativa a meritis aut bonis motibus sive ministrantis sive recipientis non pendet, quantumvis tamen nonnullae praerequirantur dispositiones in recipiente. Legas in Conc. Trid., *can. 6-8, sess. 7.* Hoc de fide est, ut constat ex Trid., *loc. cit.,* sed adhuc disputatur inter theologos, utrum illa causalitas sit physica, aut moralis, aut intentionalis. Et in hoc unusquisque in suo sensu abundet, donec Sancta Mater Ecclesia loquatur.

---

[60] Van Noort, De Sacram., Amstelodami, a. 1910, pag. 6.
[61] Catech. Rom., P. II, cap. 2, n. 50.
[62] P. II, cap. 1, n. 9.

Additur in definitione signum . . . . *a Christo institutum.* Haec verba addita sunt ad specialius determinandum signum de quo agitur; sed revera non requiruntur ad definitionem, quia haec verba nobis non dicunt *quid* sit sacramentum, sed nobis dicunt unde procedant sacramenta, sed nobis dicunt causam efficientem sacramentorum.

Additur etiam adverbium "permanenter". Sed neque hoc requiritur ad metaphysicam definitionem, ut videtur; nam verbum hoc proprie nobis non dicit quid sit sacramentum, sed sacramenti *durationem.*

Corollarium. — Per modum corollarii, mihi liceat tibi proponere, care lector, sequentem sacramenti descriptionem; longior quidem est, sed omnia elementa continet supra elucidata expressius quam antiqua definitio. Si tibi placet eam retinere, retineas; secus antiquam conserves. Definitio est haec: *Sacramentum est signum sensibile, mixtum, gratiae sanctificantis et gratiae sacramentalis repraesentativum et ex opere operato productivum, a Christo permanenter institutum.*

Poenitentia est sacramentum Novae Legis.—Viso quid sibi velit sacramentum, in praesentiarum videndum est utrum definitio revera competat Poenitentiae, ut est sacramentum. Hoc facili negotio probatur. Dictum est enim quod ad sacramentum constituendum tria requiruntur: quod sit a) signum sensibile, b) gratiae repraesentativum et productivum, c) a Christo permanenter institutum. Atqui haec tria competunt Poenitentiae, quatenus est sacramentum; ergo.

Prob. min. a) Poenitentia est *signum sensibile;* nam nonnulla extrisecus tum a poenitente tum a sacerdote fiunt, quae clare indicant quod interius in anima fit. Poenitens actibus suis externis plane exprimit se animum a peccati turpitudine abduxisse; sacerdos suis actibus et verbis declarat remissionem peccatorum, quae in anima poenitentis efficitur. Ergo[63].

b) Poenitentia est *gratiae collativa:* nam poenitentia, ut postea videbitur, est vere remissiva peccati; sed peccato deleto, infunditur gratia; ergo. Quod statim ac deletur peccatum, infundatur gratia, probatur in Tract. de Gratia, ubi citatur hic can. Conc. Trid.: "S. q. d. hominem justificari vel sola imputatione justi-

[63] Cfr. Catech. Rom., P. II, cap. 5, n. 11.

tiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis . . . . A. S."[64]. In praesenti ergo oeconomia salutis, statim ac remittitur peccatum, infunditur gratia.

c) Poenitentia est *a Christo permanenter instituta.* Dominus noster Jesus Christus, ut docet Conc. Trid., "sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt' (Joan. 20, 22). Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum successoribus fuisse commendatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent" (Sess. 14, Cap. 1).—Et in can. 1 ejusdem sess. statuit: "S. q. d. in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, A. S.".—Et in can. 3 ejusdem sess.: "S. q. d., verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur; et retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium, A. S.".—Damnatis Novatianis et Protestantibus, *Pius X* damnavit hanc Modernistarum doctrinam: "Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur

---

[64]Sess. 14, can. 11.

sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum". (Prop. 46).—"Verba Domini: 'Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt', minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit" (Prop. 47). Cfr. Decr. "Lamentabili", penes Denz. Ban., n. 2046 ss. Itaque Poenitentiae Sacramentum non habet Ecclesiam institutricem, sed Christum Dominum agnoscit tamquam auctorem.

Quod Poenitentiae sacramentum fuerit *permanenter* a Christo Domino institutum, ex eo patet quod Christus instituit sacramenta propter homines; ergo quandiu homines sunt, tandiu permanere debent sacramenta, inter quae Poenitentia numeratur.—Praeterea, potestas peccata remittendi non minus necessaria est hodie quam tempore Christi, cum homines facile in peccata labantur, ut tristi experientia comprobatur. Hoc insinuatur a Conc. Trid., hisce verbis: "Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur" (Sess 14, cap. 1).

Poenitentia ergo est sacramentum. Et est sacramentum, quo peccata remittuntur *per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam.* Verbis sublineatis exprimitur, a) *forma:* "Forma (autem) hujus sacramenti,—ut ait *Eugenius IV* in Decr. ad Armenos—sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo . . .".—Exprimitur b) *modus,* quo ministratur hoc sacramentum, qui alius non est nisi judicialis[65]. —Et tandem exprimitur c) *minister,* qui "est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris"[66].

Dicitur etiam in Poenitentiae sacramenti definitione absolutionem concedi *fideli rite disposito,* qui vocatur hujus sacramenti

[65] Cfr. Trid., sess. 14, can. 9.
[66] Denz.-Ban., n. 699.

subjectum. Sed ad hoc ut sit vere et proprie subjectum requiritur, ut habeat nonnullas dispositiones—esse debet enim rite dispositus. Dispositiones illae sunt: a) cordis contritio, b) oris confessio, c) operis satisfactio, seu melius, satisfaciendi votum; nam, ut aliquis absolvatur, non requiritur ut prius poenitentiam injunctam peragat, ut constat ex damnatione hujus propositionis *Petri de Osma:* "Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta poenitentia eis injuncta"[67].

Acerrime disputatum est, et proh dolor! disputatur adhuc inter theologos, utrum illae dispositiones dicantur et sint vere et proprie materia proxima sacramenti Poenitentiae. Circa hanc questionem neganda sunt, saltem duo, quae *Ven. Scoto* et Scotistis (qui tenent contritionem, confessionem et satisfactionem dispositiones esse) impinguntur.

Primum est illud quod asserit Tanquerey, *De Poenit., n. 164, edit, 13,* nullo nominato auctore scotista. Juxta Tanquerey, *Scotus veteresque* discipuli ejus tenuerunt tres illos actus poenitentis non solum dispositiones esse, sed etiam conditiones sine quibus non; *recetiores* autem Scotistae tenent, juxta Tanquerey, hujusmodi actus esse *tantum* dispositiones.—Haec distinctio inter Scotistas veteres et Scotistas modernos omnino rejicienda est, salva reverentia. Omnes enim Scotistae tenent hujusmodi actus esse dispositiones et conditiones sine quibus non, cum Ven. Scoto aiente sacerdotis sententiam "nullo modo" absolvere, "vel saltem non efficaciter, nisi reus ille sit in se debito modo dispositus, quia Sacramentum est signum absolutionis interioris, quae interior non concomitatur, nisi sit debita dispositio in mente interius absolvendi", i. e., subjecti. Hae dispositiones requiruntur "simpliciter", secus "inutilis" est absolutio illa[68]. Aliis verbis, sunt dispositiones requisitae ad validam sacramenti receptionem. Non cito Scotistas pro hoc, quia omnes citare deberem.

Alterum, quod negari debet, est Ven. Scotum negasse hujusmodi actus esse *partes* sacramenti poenitentiae. Ad quod probandum, citantur illa Doctoris verba: "Ista tria (contritio, confessio et satisfactio) nullo modo sunt partes ejus", sc., poenitentiae, (Loc. cit.). Et Pesch, *De Poenit., n. 73,* postquam citavit Conc. Trid., quod docet "hos actus esse partes et quasi-materiam hujus sacra-

---

[67] Denz.-Ban., n. 728; cfr. n. 1306, 1308, 1437, 1535.
[68] Oxon. 4, d. 16, q. 1, n. 7.

menti" Poenitentiae, concludit: "Ergo saltem Scoti loquendi modus est corrigendus, neque amplius dicendum est actus poenitentis nullo modo esse partes sacramenti".—In primis dicendum est Conc. Trid. non intendisse quaestiones scholasticas solvere, sed veritatem catholicam defendere ac definire contra Reformatores. Hoc ab omnibus admittitur, sed in praxi aliquando, ne dicam saepissime, oblivioni traditur, et indiscrete citantur Sancti Concilii verba pro hac vel pro illa opinione. Quod minime approbandum est, nec commendandum.—Praeterea, quaestio inter Scholasticos non est, utrum hujusmodi actus sint partes[69], sed, utrum illae partes sint partes *in recto,* an tantum partes *in obliquo.* Aliis verbis: utrum hujusmodi partes pertineant ad essentiam sacramenti Poenitentiae, an tantum sint partes integrales. Audiatur Ven. Scotus loquens de actibus poenitentis tamquam de partibus Poenitentiae, dum agit de satisfactione: "Secundo modo sumendo satisfactionem stricte (de ea locutus est late; et hic est primus sumendi modus satisfactionem), prout sc., distinguitur contra *alias PARTES poenitentiae, CONFESSIONEM* sc. et *CONTRITIONEM,* quae magis satisfaciunt pro peccato, quam ipsa *SATISFACTIO, prout est tertia PARS poenitentiae,* dico . . . ."[70].

Non ergo adest difficultas ulla quoad verbum "pars." Sed estne pars essentialis, an pars integralis? De hac questione non constat. Et Ecclesia nolens quidquam adhuc definire, adhibet phrasim illam "quasi-materia". Remanet ergo libera quaestio illa, ideoque sine ulla theologica censura, Thomistae sustinere possunt actus poenitentis esse partes essentiales, et Scotistae stare possunt pro altera parte, sc., sustinere possunt hujusmodi actus esse partes integrales[71]. Et unusquisque in suo sensu abundare potest, donec Ecclesia definitive loquatur.—Interim animadvertendum est illa verba Ven. Scoti, "nullo modo partes (sunt Poe-

---

[69] "Utriusque scholae theologi (thomistae et scotistae),—ait Perrone,—*admittunt* tres esse hujus sacramenti *partes*" (De Poenit., cap. V, pag. 372, edit. Migne, a. 1864).

[70] Report. Paris, lib. 4, d. 15, q. 1, n. 11.

[71] Cfr. Gotti, O. P., Card., *Theol. Schol.-Dogm.,* Venetiis, a. 1763, tom. 3, pag. 167, ubi dicit quod ex "S. Thomae doctrina apparet, quod actus poenitentis, nempe, dolor et confessio, sunt, non solum de integritate, sed de essentia hujus sacramenti (Poenitentiae), tamquam ex quibus hoc sacramentum materialiter constituitur, sicut baptismus ex ablutione; quamvis oppositum Scotistae sentiant", i. e., sentiunt actus illos esse ad integritatem tantum.

nitentiae) contritio, confessio et satisfactio" intelligenda esse de partibus *essentialibus,* quia haec est mens totius quaestionis; non autem intelligenda esse absolute. Unde non Ven. Scotus, sed Pesch, corrigendus est, qui citat quidem verba materialia, non tamen advertit, ut videtur, ad sensum quaestionis.

Per Poenitentiae sacramentum dimittuntur *peccata post Baptismum comissa.* Poenitentia igitur non est sacramentum vivorum, id est, non est sacramentum quo acquiritur secunda gratia, seu augmentum gratiae; sed est sacramentum mortuorum, id est, per ipsum obtinetur prima gratia, seu efficitur transitus a statu peccati mortalis et inimicitiae Dei ad statum gratiae sanctificantis et amicitiae divinae. Ideo a Patribus et theologis Poenitentia vocatur *sacramentum reconciliationis, baptismus laboriosus, secunda post naufragium tabula.* "Ut enim confracta nave—ait Catech. Rom.—unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere; ita, post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad Poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de hujus salute desperandum est"[72].

Denique in definitione poenitentiae sacramenti adduntur haec verba: *gratia sanans infunditur.* Hac additione indicari intenditur sacramentalis gratia hujus sacramenti. Si enim in definitione aliorum sacramentorum indicatur gratia sacramentalis seu specialis, quare non indicari debet in definitione Poenitentiae? Quod autem gratia *sanans* sit gratia specialis hujus sacramenti, innuitur in *Decr. ad Armenos,* quod sic se habet: "Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur"[73].

Sed aliquis dicet: quare non additur gratia sanctificans.

Resp. 1) Quia haec non indicatur in ceteris sacramentis a theologis.—2) Quia gratia sanctificans non est gratia *specialis* Poenitentiae; est enim communis omnibus sacramentis, ideoque subauditur. Non tamen res sic se habet relate ad gratiam specialem.

---

[72] P. II, cap. 5, n. 1.
[73] Denz.-Ban., n. 695.

CAPUT II.

Status quaestionis.

Postquam breviter Poenitentiae studuimus tum quatenus virtus est, tum quatenus est sacramentum Novae Legis, in hoc capite *status quaestionis* proponitur, ubi, videlicet, deteminatur sensus hujus phrasis "potestas clavium", et indicatur quo sensu accipitur hac in dessertatione, necnon praecipui assignantur errores circa nostram materiam. Duos ergo continebit articulos capitulum praesens: art. I: Quid intelligatur per clavium potestatem; art. II: Errores.

ARTICULUS I.

Quid intelligatur per clavium potestatem.

(a) Phrasis "potestas clavium", ut liquet, metaphorica est. En ejus sensus: sicut clavium est januam materialem aperire aut claudere, sic hujus potestatis est caelorum januam aperire aut claudere, i. e., dignos recipere ac indignos excludere a caelorum regno, ut dicebant antiqui.

Potestas clavium considerari potest in *tota sua amplitudine* aut etiam sub *aliquo tantum respectu*. In tota sua amplitudine continet totam potestatem (legislativam, judicialem, coactivam), quam Dominus noster Jesus Christus B. Petro Apostolo ejusque successoribus Romanis Pontificibus contulit, quando ad Principem Apostolorum, postquam hic feliciter amoris examen superavit, dixit: "Pasce agnos meos . . . Pasce oves meas" (Jo. 21, 15 et 17); quibus verbis ipsi subjecit non tantum subditos, verum etiam praelatos ipsos, seu, aliis verbis, totam Ecclesiam, nullo excepto. Haec plenissima et suprema auctoritas jam a Domino fuerat promissa B. Petro hisce verbis a S. Matthaeo relatis: "Tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis"[1].

Sic accepta potestate clavium, nonnisi S. Petrus atque Romani Pontifices habent potestatem clavium. Sed hoc sensu non accipitur potestas clavium hac in dissertatione.

[1] Mt. 16, 19.

Praeterea, clavium potestas, ut dictum est, spectari potest sub aliquo tantum respectu, sc.; quatenus est potestas judicialis in foro conscientiae in ordine ad remissionem aut retentionem peccatorum a Domino concessa suis ministris sacerdotibus; et simpliciter dicitur *potestas remittendi aut retinendi peccata* in Poenitentiae sacramento. Et sub hoc sensu considerabitur potestas clavium in praesenti dissertatione.

(b) Card. *Cajetanus* asseruit potestatem clavium—auctoritatem aperiendi et claudendi—uni Summo Pontifici propriam esse; et ipsi Cajetano displicet vocare potestatem clavium potestatem remittendi et retinendi peccata. Cum communi doctrina convenit quoad rem, licet differat quoad terminologiam. Usus enim communis tam apud Patres quam apud theologos praevaluit nomen "potestatis clavium" tribuendi etiam potestati remissivae. De hac questione cfr. cl. *Joyce* in "The Catholic Encyclopedia", vol. VIII, verbo "Keys, Power of the."

(c) Alii includere volunt in potestate clavium non solum auctoritatem super Ecclesiam, sed etiam super Statum, adeo, ut juxta ipsos, Rom. Pontifex habeat supremam auctoritatem spiritualem atque temporalem. Ad hoc probandum citant St. Matthaeum, cap. 16, 19: "Tibi dabo claves regni caelorum; et *quodcumque* ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et *quodcumque* solveris super terram erit solutum et in caelis".

Haec sententia duplici modo proponitur: juxta quosdam, suprema potestas illa temporalis a Domino collata est B. Petro per citata verba S. Matthaei *directe,* i. e., per illa verba Petrus constitutus est supremus Hierarcha tam spiritualis quam temporalis; juxta quosdam autem, auctoritas illa collata fuit *indirecte* tantum.

Illa collatio directa non placet propter sequentia. Primo, quia Christus Dominus Petro dixit: "Tibi dabo claves regni *caelorum";* nihil autem dixit de terrenis regnis et principatibus.—Secundo, quia Summi Pontifices non videntur agnovisse hujusmodi potestatem directam in regna terrestria. Audiatur, v. g., *Leo XIII,* de potestate ecclesiastica atque de potestate civili suum exprimens sensum, qui est omnium Romanorum Pontificum: "Utraque est in suo genere maxima"; utraque ergo suprema est et independens. Si autem subordinatio quaedam inter utramque interveniat potestatem, haec subordinatio pendet ex

utriusque potestatis natura et fine, "cum alteri (potestati civili) proxime propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri (ecclesiasticae potestati) caelestia et sempiterna bona comparare" (Encycl. "Immortale Dei").

Collatio illa indirecta magis fundatur, ut mihi videtur, in natura et fine societatis tum ecclesiasticae tum civilis, quam in verbis D. N. Jesu Christi. Christus quidem contulit B. Petro per citata verba potestatem amplissimam, sed quoad regnum caelorum, i. e., quoad Ecclesiam. Vel si contineatur hujusmodi potestas in illis verbis, continetur implicite valde, minime vero explicite.

Ceterum in nostra dissertatione non consideratur hujusmodi potestas temporalis, sed potestas spiritualis, et quidem in foro poenitentiali, ut dictum est.

(d) Praeterire nequeo unum saltem dicere verbum circa ea, quae cl. Joyce, *loc. cit.*, circa *Franciscanos* statuit.

Exposita Crd. Cajetani opinione, prosequitur auctor citatus: "A similar opinion would seem to have been held by the Franciscans whose views are rejected by John XXII (loc. cit.). They contended that the Pope held a *clavis scientiae* and a *clavis potentiae;* and that, though in the case of the *clavis potentiae* a decision arrived at might be reversed by a subsequent act, no reversal was possible where the *clavis scientiae* had been employed"[2].

Tria ergo dicit Joyce: 1) Franciscanorum opinio similis est Card. Cajetani opinioni; 2) Franciscani tenuerunt Summos Pontifices habere duplicem clavem, sc., clavem scientiae atque clavem potentiae; et, juxta ipsos Franciscanos, decisiones clavis potentiae revocari possunt per actum subsequentem, sed clavis scientiae decisiones revocari nequeunt; 3) Joannes XXII rejecit Franciscanorum opinionem.

Resp. ad 1). In primis neganda esse videtur similitudo Card. Cajetani opinionem inter et Franciscalium illorum opinionem. Nam Card. Cajetanus totus esse videtur in probando *unice* Summum Pontificem clavium potestatem possidere; dum Franciscales illi videntur insistere in asserendo *revocationem* decisionum possibilem esse vel non, prout agitur de clavi potentiae

[2] The Catholic Encyclopedia, vol. VIII, verbo *Keys*, Power of the.

vel de clavi scientiae. Hoc patet ex ipsa opinionum expositione, quam facit cl. auctor ipse loc. cit. Hoc autem nec idem nec simile est, ut patet. Ergo.

Resp. ad 2). Sententia de duabus clavibus non est sententia unice franciscana, sed dici potest fere communis saltem. Audiatur, v. g., *Suarez: "Solet a theologis* duplex distingui clavis: alia scientiae, alia potentiae. Clavis scientiae *in Pontifice* est ad definiendas veritates fidei; potentiae ad regendam Ecclesiam"[8].

Hisce ultimis verbis Suarezii respondetur ad illud de revocatione decisionum datarum vi clavis potentiae, atque ad illud de irrevocabilitate decisionum datarum vi clavis scientiae. Si enim per clavem *scientiae* intelligatur potestas definiendi tamquam dogma fidei veritatem aliquam, et per clavem *potentiae* intelligatur potestas Ecclesiam gubernandi, non video cur rejicienda sit haec sententia. Etenim quod sint irrevocabiles et irreformabiles decisiones dogmaticae, omnes catholici norunt et admittunt; quod autem decisiones disciplinares sint reformabiles et revocabiles, hoc abunde constat ex ipsa Historia ecclesiastica. Quod enim pro nunc est utile, pro crastino erit inutile aut nocivum, ideoque mutandum est; nec haec mutatio arguit defectum in Ecclesia, cum mutatio illa fundetur in humana conditione atque in adjunctis in quibus versamur. Audiatur, v. g., *Smus. D. N. Benedictus XV* qui, inter causas moventes ad novam codificationem faciendam, hanc adducit: "Saeculorum enim decursu, leges quamplurimae prodierunt, quarum nonnullae aut suprema Ecclesiae auctoritate abrogate sunt aut ipsae obsoleverunt; nonnullae vero aut pro conditione temporum difficiles ad exequendum, aut communi omnium bono minus in praesentiarum utiles minusve opportunae evaserunt" (Encycl. *Providentissima Mater,* die Pentec., a 1919). Itaque Ecclesia suas potest optimo jure mutare leges.

Nihil ergo novi protulerunt Franciscales illi, nullaque reprehensione aut rejectione digni sunt relate ad hoc punctum.

Resp. ad 3). Joannes XXII, ut patet ex Bulla "Quia quorundam" (quam citat cl. Joyce), non rejicit sententiam ipsam, sed *applicationem* ejusdem ad quaestionem, quae principalis est, de paupertate Christi et Apostolorum necnon de paupertate fran-

[8] Franciscus Noel, Theologiae Suarez Summa, P. II, Diput. XVI, sect. IV.

ciscana. Franciscales illi putabant declarationes regulae franciscanae a SS. Pontificibus Joannis XXII antecessoribus fuisse declarationes dogmaticas, ideoque irreformabiles, nisi clavis scientiae sententia. Hinc quando Papa Joannes nonnullas voluit illarum declarationum reformationes facere, ei restiterunt Franciscani illi; et Joannes XXII contra ipsos declarat et probat illorum SS. Pontificum declarationes dogmaticas non fuisse, Franciscanosque illos errasse in applicatione illius sententiae de clave scientiae. Hanc sententiam, ut patet ex bulla cit., neque approbat neque rejicit S. P. Joannes, sed tantummodo *refert* diversos modos, juxta quos, eamdem sententiam intelligunt auctores, et dicit Franciscanos illos errasse in applicatione illius sententiae quocumque modo intellectae.

Cum cl. Joyce loquatur de Franciscanis in genere, ut videtur,—"by the Franciscans", ut ipse ait,—insinuat saltem hujusmodi sententiam, seu melius, hujusmodi sententiae applicationem, communem fuisse inter Franciscanos. Sed hoc probari non potest. Nam, 1) citari nequit aliquis auctor gravis franciscanus, qui fuerit pro hujusmodi applicatione; 2) ipse S. P. Joannes XXII insinuat se non agere de omnibus theologis franciscanis aut de eorumdem majori parte, sed de quibusdam: "Quia *quorundam* mentes", ait S. Pontifex. Quinam sint illi fautores ipse S. Pontifex describit: "Quia quorundam mentes sic pater mendacii dicitur excaecasse, quod nostris constitutionibus, quorum una incipit: *Ad Conditorem canonum,* alia vero: *Cum inter nonnullos* . . . . non absque multa temeritate plectibili nisi fuerunt detrahere et nituntur ac veritatem, quam continent, per falsas insanias offuscare; nos tam perniciosis ausibus, ne eorum doctrina pestifera simplicium animos labefactare valeat... decrevimus . . ." In decursu bullae eos theologos vocat S. Pontifex fabricatores mendaciorum, eos declarat contumaces et rebelles Romanae Ecclesiae et "haereticos vitandos". Numquid haec, sine manifesta injuria, dici possunt de omnibus theologis franciscanis aut de eorumdem majori parte?[4]

Talem sententiam, si sic eam vocare quis velit, sustinentes fuerunt sic dicti *Spirituales* et ii Fratres Minores, "qui ex parte Ludovici Bavari fuerunt"[5], quique fratres efformarunt, ut con-

[4] Bullarium Franciscanum, tom. V, pag. 271, Romae, 1898.
[5] Ibid. nota 3.

stat ex Historia[6], illam *Fraticellorum* classem, qui dicuntur *Michaelitae,* de quibus inter alia dicitur in "The Catholic Encyclopedia", vol. VI, verbo "Fraticelli", n. III: "The third group of the Fraticelli are called the Michaelites, deriving their name from Michael de Cesena". Et pag. 247, col. 2, dicitur de eisdem: "Michael de Cesena and all his adherents, the Michaelites, were repudiated by the (Franciscan) order".

Itaque applicatio illa Franciscanis in genere attribui nequit, cum constet illius fautores fuisse Fraticellos tantum.

Quidquid sit de his aliisque opinionibus, in hoc scripto per potestatem clavium intelligetur potestas remittendi aut retinendi peccata in sacramento Poenitentiae.

ARTICULUS II.

Errores praecipui.

(a) Juxta *Scribas* et *Pharisaeos,* nullus potest peccata dimittere, nisi solus Deus.—Eos refutavit ipse Dominus Noster Jesus Christus[7].

(b) *Montanistae* et *Novatiani* clavium potestatem non negarunt, sed tantummodo restrinxerunt ad certa peccatorum genera.

N. B. *Novatianus,* tamen, juxta Patrum testimonia, clavium potestatem *negavit.* Ait enim *S. Athanasius:* "Novatum culpamus poenitentiam tollentem, ac dicentem nullam superesse iis veniam qui post lavacrum peccaverint"[8].—*S. Epiphanius* Novatianum asseruisse refert: "Qui . . . post baptismum delinquerit, nullam erga eum misericordiam adhiberi posse"[9].—Juxta *S. Pacianum,* Novatianus docuit "quod post baptismum poenitere non licet; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes"[10].—*S. Ambrosius,* solvens Novatianorum objectionem quamdam, idem docet: "Sed aiunt (Novatiani) se, exceptis gravibus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem ductor vestri erroris Novatianus, qui nemini poenitentiam dandam putavit . . . Sed Deus distinctionem non facit . . . . Sed qui culpam exaggeraverit, exaggeret poenitentiam. Ita nec Novatianus approbatur, qui

---

[6] Marx, Manuale di Storia Eccl., pag. 379. Firenze, a. 1913.
[7] Cfr. Mt. 9, 1-8; Mc. 2, 1-12; Lc. 5, 18-26.
[8] M. P. G. L., vol. 26, col. 654.
[9] M. P. G. L., 41, 1818.
[10] M. P. L., 13, 1063.

veniam interclusit omnibus nec vos (Novatiani) imitatores et condemnatores" ejusdem[11].

(c) *Petrus Abaelardus* docuit "quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus"[12].

(d) *Waldenses, Wicleffitae, Hussitae,* nonnulli *Armeni* atque *Fraticelli* dicebant pravos sacerdotes absolvere non posse. Cui errori *Wicleffitae, Hussitae* ac *Fraticelli* addebant hunc alium, sc., simplices fideles bonos habere clavium potestatem.

(e) *Protestantes.* — 1) *Lutherus* et lutherani aliquando admittebant sacramentum Poenitentiae, aliquando rejiciebant. Sed ultimo rejecerunt. Audiatur, v. g., Lutherus ipse: "Poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus (Baptismo et Caenae Domini) accensui signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi quam viam et reditum ad baptismum"[13]. Cum ergo Poenitentia careat signo visibili et divinitus instituto, proculdubio non est sacramentum, juxta Lutherum.—Et si aliquando, ad fucum faciendum, dicunt per poenitentiam conferri peccatorum absolutionem, intelligunt aut Poenitentiae virtutem aut nudam absolutionis *declarationem,* i. e., sacer minister revera non absolvit, sed tantummodo dicit Deum absolvere vel absolvisse peccatum peccatoris, propter hujus fidem fiducialem seu confidentiam.

2) *Calvinus* negavit distinctionem baptismum inter et poenitentiam, atque docuit poenitentiam nihil aliud esse quam baptismi recordationem. Si quis aliquod commisit peccatum, ut absolutionem obtineat, nihil aliud facere debet nisi baptismum in mentem recolere: "Sic autem cogitandum est, quocumque baptizamur tempore, nos semel in omnem vitam ablui et purgari: itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit baptismi memoria, et hac armatus (erit) animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit; nam etsi administratus praeteriisse visus sit, posterioribus tamen peccatis non est abolitus"[14].

3) *Ecclesia Anglicana,* juxta *Mortimer*[15], aliosque nonnullos Episcopalianos, agnoscit confessionem sacramentalem(!), sed non

---

[11] M. P. L., 16, 469.
[12] Denz.-Ban., n. 379.
[13] De Captivit. Babilonica, circa finem.
[14] Institut. lib. IV, cap. 15.
[15] Mortimer, Catholic Faith and Practice, vol. II, pag. 166 ss., Longmans, Green and Co., 1905.

vult filios suos ad ipsam confessionem peragendam *obligare.*— Mortimer tres adducit formas absolutionis: *Prima* est, quae invenitur in Matutino, quam dicit declaratoriam tantum; *secunda* est, quae invenitur in Liturgia, eamque dicit precatoriam; *tertia* est, quae invenitur in Officio Visitationis infirmorum, eamque dicit *judicialem* et *sacramentalem.*

Quod Mortimer dicit circa *tertiam* formam mihi videtur esse ipsius opinio personalis, et non communis doctrina inter Episcopalianos. Et hoc deduco: 1) ex conaminibus, quae, loc. cit., Mortimer facit reducendi suos collegas ad antiquam praxim; 2) ex eo quod, ceteri Episcopaliani non agnoscunt sacramentum poenitentiae tamquam sacramentum Evangelii, i. e., tamquam a Christo Domino institutum. Hoc ultimum optime Rev. *Aloysius Joshua Dodgson Bradley,* antea Anglicanus, probat in suo Opusculo, "A Gentle Remonstrance", cap. VIII, Fr. Pustet, 1879. 3) Tandem ex personali inquisitione; multos interrogavi Episcopalianos hac de re, atque omnes uno ore mihi dixerunt: "We do not have confession."

Itaque, si poenitentia non est sacramentum a Christo institutum, Episcopalianorum absolutio, si quamdam impertiantur, sacramentalis esse non potest.

4) *H. C. Lea* multa contra Poenitentiae sacramentum habet. Sed de eo agetur in decursu dissertationis.

(f) *Modernistarum* commenta S. Pontifex *Pius X*[16], circa poenitentiam, sic contraxit: 1) "Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum sc., et poenitentiam" (Prop. 45).—2) "Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum" (Prop. 46).—3) "Verba Domini: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt' (Joan. 20, 22-23), minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit" (Prop. 47).

[16] Denz.-Ban., n. 2046 ss.

CAPUT III.

De promissione clavium potestatis.

In praecedenti capite relati fuerunt errores praecipui, necnon determinatus est sensus sub quo considerabitur "clavium potestas", sc., quatenus significat potestatem remittendi aut retinendi peccata in sacramento Poenitentiae.

Haec potestas non statim collata fuit a Domino suis sanctis Apostolis; sed prius, quasi eos praeparans ad tam permagnum opus, eamdem ipsis promisit, atque deinde contulit. Duplicem promissionem legimus in sacris Litteris fuisse factam: prima fit Simoni Petro, secunda ceteris Apostolis. Unde duplicem articulum continebit capitulum hoc: art. I: Promissio Petro facta; art. II: promissio ceteris Apostolis facta.

ARTICULUS I.

Petro promittitur clavium potestas.

(A) *Sacer textus.*—Beati Petri confessionem in Christi divinitatem ejusdemque divinam generationem a Deo Patre, necnon permagnificam laudem atque mercedem quam Christus Piscatori tribuit, sic *St. Matthaeus* refert atque describit: "Venit autem Jesus in partes Caesaraeae Philippi et interrogavit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.—Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon, Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis"[1].

---

[1] Mt. 16, 13-19.—Cfr. *Biblica,* vol. I, fasc. 2, pag. 240, ubi statuitur contra v. Harnack "textus criticus et genuinus". Romae, P. I. B.

(B) *Textus explanatio brevis.*—In primis Dominus orationi incumbit, et quidem solus, ut refert *S. Lucas,* 9, 18, nam agere intendit de re summi momenti. Deinde suos discipulos ex Judaea et Galilaea extraxit, eosque ducit in solitudinem, ubi, mente serena, cum nullus mirabilis eventus praeceserit, accipere queant doctrinam de Christi divinitate et doctrinam qua Petrus constituitur Ecclesiae fundamentum atque Supremus, post Christum, ipsius Ecclesiae Pastor et Rector.

(a) *Petri confessio gloriosa.*—Antequam Dominus ad suum intentum principale perveniat, adhuc praeliminarem quaestionem Apostolis proponit, ne magnitudine principalis quaesiti terreantur, de populi opinione circa suam divinam personalitatem: "Quem dicunt homines esse Filium hominis?"—Ad hanc quaestionem subito respondent omnes Apostoli, et in medium proferunt popularem sentiendi modum de Christo: "At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam . . ." Ex qua responsione deducitur Judaicum populum Christum Dominum habuisse quidem tamquam hominem privilegiatum, tamquam Dei Legatum divinum, minime vero tamquam Messiam toties promissum; quia eum videbat pauperem et humilem, dum exspectabat Messiam gloriosum ac praepotentem, qui restitueret antiquum politicum statum Israel.

Sed praeteriens popularem opinionem, jam nunc Dominus ipsam praecipuam rem, quam intendebat, tangit, sc., indubie atque clare suos docere Apostolos suam divinitatem, Petrique potiorem principalitatem. Atque ad hoc obtinendum, Apostolos ipsos interrogat de propria ipsorum opinione. Vos, inquit, vos, qui meam doctrinam audistis; vos, quibus eamdem doctrinam clarius et accuratius exposui; vos, qui propius vidistis opera mea; vos, qui a principio meae publicae vitae mecum fuistis, "vos autem, quem me esse dicitis"?

Magnum atque profundum secutum est silentium! Interim Petrus perfunditur lumine a Patre caelesti, atque videns "suos condiscipulos tacentes et aliquantulum dubitantes quid dicerent; deinde (sciens) quod apud aliquos commilitones suos aliqua erat tarditas in fide; ne ergo aliquis ex condiscipulis aliquid minus decens ac idoneum de Christo proferret, ipse prior responsum praeripuit ac, ut ait *S. Chrys.,* prosilivit (Syl. sim., Grimm. III,

p. 625)"[2], dicens: "Tu es Christus Filius Dei vivi"! Tu es unctus ille per excellentiam toties promissus a Domino; Tu es Messias; Tu es Filius Dei, non adoptivus, sicut nos et ceteri homines sumus, sed naturalis; Tu eamdem naturam ac Pater habes; Tu non tantum es divinus Legatus, sed ipse Deus.

(b) *Christi responsio.*—"Beatus es, Simon, Bar-Jona"! Dominus ait. Vere beatus, quia Dominum confessus est a Patre caelesti genitum, sicut ipse Petrus genitus est a suo patre Joanne, demptis tamen humanae generationis imperfectionibus[3]. Vere beatus es, o Petre, "quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis es". Non humana ratione suis derelicta viribus, non per hominum doctrinam, immo neque angelorum, has divinas veritates cognovit Petrus, sed divina et speciali Patris caelestis revelatione; et ideo beatus!

1) *Petrus constituitur Ecclesiae fundamentum.*—"Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam". *"Et ego,* inquit, *dico tibi:* hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam: *Quia tu es Petrus:* id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere . . .; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia" (S. Leo, serm. IV, cap. 2: Migne, P. L., tom. 54, col. 150). Tu es saxum (hoc enim sonat aramaica vox *Kepha*), et super hoc saxum aedificabo Ecclesiam meam, ait Christus. Notandum est Dominum dixisse EcclesiAM meAM, non autem dixisse EcclesiAS, sicut male dixerunt sic dicti *Southern Baptists:* "Christ's Churches". Hoc minime rectum est, cum Dominus de una tantum loquatur Ecclesia. In hac metaphora, Christus est architectus; aedificium est Ecclesia seu societas religiosa, quam Christus sibi efformaturus est; fundamentum est Petrus; quod fundamentum, cum sit petreum, firmum est, atque aedificio stabilitatem atque unitatem praestabit. Aliis verbis, Dominus intendit religiosam societatem instituere, et promittit se Petro da-

---

[2] Apud Knabenbauer, Evang. sec. Mt., pag. 49, Paris, a. 1893.
[3] S. J. Chrysost., Homil. in Mt., 54; M. P. G., tom. 58, col. 531.

turum auctoritatem seu potestatem conservandi atque unificandi societatem illam; nam auctoritas est societati, quod fundamentum est domo.

"Et portae inferi non praevalebunt adversus eam". Per synecdochem, vox "portae" indicat civitatem, et civitas indicat ejusdem habitatores. Nomine "inferni" inimicus infensissimus regni Dei in S. Scriptura indicatur. Itaque sensus verborum "et portae inferi . . ." hic est: Diabolus ejusque sequaces, angeli apostatici et homines impii, suprema facient conamina ad Ecclesiam Christi destruendam; sed Ecclesia debellabit omnes inimicos suos, victoriamque obtinebit per Petrum, qui, cum fundamentum sit, eam sustinabit vegetem atque victricem.

2). *Petrus constituitur Ecclesiae Janitor seu Supremus Moderator.*—"Et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis".

In primis notandum est expressionem illam "regnum caelorum" idem esse ac Ecclesiam Christi. Christus enim asseruit se regem esse atque nihil aliud instituit in terris nisi Ecclesiam; consequenter Ecclesia et regnum caelorum in casu identificanda sunt. Et hoc tenendum est ex contextu, contra nonnullos protestantes, qui volunt hos terminos disjungere ad hoc ut facilius possint denegare Petri, ac praesertim Romanorum Pontificum, supremam auctoritatem super Ecclesiam militantem. Cfr., v. g., "The International Critical Commentary, St. Matthew, pag. 175-180, Allen, New York, Charles Scribner's Sons, 1907", ubi dicitur Petrum in Ecclesia esse sicut quemlibet alium Apostolum; sed in regno caelorum, sc., in regno instituendo quando Christus veniet mundum judicare, tunc Petrum recepturum esse claves seu supremam auctoritatem.

"Et tibi dabo claves . . ." Dare claves in sensu scripturistico et in sensu Orientalium idem est ac conferre supremam auctoritatem in aliquid, v. g., in aliquam domum aut civitatem. Hoc probatione non indiget, cum admittatur ab omnibus, tam catholicis quam acatholicis, qui S. Scripturae operam navant. Ergo per verba "tibi dabo . . ." Dominus Petro promisit supremam auctoritatem super Ecclesiam, eum constituit domus aedificandae administratorem absolutum, suum primum repraesentantem, suum locum-tenentem, atque Supremum suum in terris Vicarium.

"Et quodcumque ligaveris . . ." Hisce verbis Petro Dominus promittit potestatem *amplissimam:* "Quodcumque", ait Dominus. Et hanc potestatem exercere potest Petrus dupliciter: *Ligando,* "ligaveris", et *solvendo,* "solveris". Ubinam exercere debeat Petrus suam auctoritatem, indicatur verbis: "Super terram"; ergo non debet exspectare ut mortuorum resurrectio peragatur, ut incipiat suae potestatis exercitium.—Aliud promittitur etiam B. Petro, sc., suas decisiones confirmandas esse in caelis seu a Deo. Quidquid itaque Petrus statuit aut prohibet, Deus statuit aut prohibet.

Ligatio atque solutio non intelligendae sunt materialiter, sed *spiritualiter;* nam agitur hic de societate. Quae autem spiritualiter ligari possunt aut solvi, sunt intellectus et voluntas. Ergo Petrus potest suorum subditorum intellectus et voluntates solvere aut ligare, et hoc plenissima potestate. Potest proinde Petrus:

a) Christi mentem atque doctrinam interpretari;—b) legitime declarare quid liceat, quidque prohibitum sit in lege Christi;—c) legis observantiam urgere;—d) novas leges imponere, secundum spiritum Christi;—e) sententias ferre, atque poenas infligere;—f) exigere fidem, quando proponitur aliqua veritas fidei vel morum in sacro revelationis deposito contenta;—g) solvere quodcumque spirituale vinculum fidelium, i. e., quodcumque impedimentum auferre, quo, fideles ab ingressu caeli praepediri possint aut retardari. Uno verbo, Petrus potest plenissime potestatem exercere administrativam, legislativam, judicialem, coercitivam, et quamcumque aliam, si adsit.

Numquid potestas *retinendi aut remittendi peccata* continetur in hac amplisissima potestate?

Resp.—Continetur utique, non tamen explicitis verbis, sed implicitis. Cum enim Christus Dominus Petro promiserit *omnimodam* potestatem solvendi *quodcumque* vinculum spirituale, eo ipso Petro promisit potestatem absolvendi a peccatis: 1) quia peccata fideles ab ingressu caeli aut excludere aut saltem retardare possunt; 2) quia potestas absolvendi a peccatis continetur in illa omnimoda potestate, sicut pars in toto; sed cui concessum est totum, ei concessa est et pars; ergo Petro, etc.; 3) quia Patres, quando loquuntur de verbis, "Tibi dabo . . ." mentionem de potestate remissiva faciunt; ergo, juxta ipsos, potestas re-

missiva continetur in illis verbis; 4) quia theologi, tum antiqui tum moderni, idipsum agnoscunt; 5) quia etiam inimici remissivae potestatis hoc ipsum agnoscunt. E. g., *Dr. Lea,* protestans, admittit Dominum Petro ceterisque Apostolis concessisse potestatem absolvendi atque ligandi per verba: "Quorum remiseritis peccata . . ." (Joan. 20, 22), et dicit hanc potestatem fuisse *promissam in Mattheo,* loc. cit.: "The orthodox explanation of the reiteration of the grant of power by Christ after His resurrection is that in Matthew He merely made a promise, the fulfillment of which is recorded in John"[4].

Itaque potestas remissiva non continetur explicite in verbis: "Tibi dabo . . ."; quia Dominus non loquitur expresse de *peccatis* in hoc loco; sed continetur implicite ex omnium confessu.

Non *semper* ergo et *tantum* voces "Solvere et Ligare" idem sunt ac *declarare* aliquid *licitum* esse aut *illicitum,* sicut tenebant antiqui protestantes.

QUAESTIUNCULAE.

I. — *Utrum B. Petrus locutus fuerit nomine proprio, an nomine Apostolorum.*

Multi tenent Petrum locutum fuisse nomine Apostolorum. Cum autem loqui nomine alterius sit aliquantulum aequivocum, expedit statuere quo sensu admitti possit Petrum locutum fuisse nomine Apostolorum. Aliquis enim loqui potest nomine alterius tamquam ipsius merus legatus vel tamquam ipsius superior. Quo ergo sensu locutus est Petrus nomine Apostolorum?

Protestantes videntur communiter asserere Petrum locutum fuisse nomine Apostolorum tamquam *merum* ipsorum *delegatum;* et hoc faciunt ne cogantur admittere S. Petri primatum, et principaliter Romani Pontificis primatum, cum hic verus legitimusque Piscatoris successor sit. Sed eorum assertum numquam probabunt, quia in sacra pagina neque indicium neque vestigium habetur de hujusmodi delegatione ex parte Apostolorum.

Quod autem Petrus locutus fuerit nomine Apostolorum, tamquam ipsorum *Superior,* admitti potest, quia hoc asserunt multi Patres, et quia in sacra Scriptura multa sunt quae hujusmodi superioritatem indicant atque probant.

---

[4] Cfr. Rev. P. H. Casey, S. J., Notes on a History of auricular Confession, Philadelphiae, 1899, pag. 6.

Attamen conformior videtur sacro textui sententia quae tenet B. Petrum locutum fuisse nomine *proprio*. Nam Dominus adeo singulari loquitur modo, ut nonnisi de Petro, et quidem solo, i. e., exclusis ceteris Apostolis, ejus verba intelligi possint. Dominus in medium profert varia nomina Petri: "Simon, filius Joannis, tu es Petrus". Petrum beatum proclamat. Petrum declarat caelesti lumine donatum. Petrum constituit fundamentum Ecclesiae, interposito nomine Petri (Kepha). Petro claves tradit, seu melius, promittit: "Tibi dabo . . ." Ergo nisi violentiam velimus, saltem aliqualem, inferre sacro textui, verba Domini intelligenda sunt de solo Petro. "Quibus quaeso,—ait Card. Cajetanus,—describendum fuit ab Evangelista quod ad solum Petrum erat sermo? . . . . Non pluribus nec majoribus circumstantiis describuntur et nominantur a notariis personae haeredes et legatariae quam persona Petri in hoc textu descripta et nominata fuit"[5]. Ergo cum Dominus locutus fuerit ad B. Petrum tam singulari modo, B. Petrus locutus est nomine proprio.

II. — *Quid dessignaverit Christus per verba, "Super hanc petram"?*

a) Juxta plures antiquos *Protestantes,* per illa verba Christus dessignavit *Semetipsum* gestu: Tu es Petrus (verba ad Apostolum Petrum); et super hanc petram (hisce verbis et gestu seipsum dessignavit Christus) aedificabo . . . Haec opinio est sacri textus manifesta violatio, jam antiquata est, atque ab ipsis protestantibus ut ridicula rejicitur.

b) Multi *Patres* verba "Super hanc petram" *litteraliter* intellexerunt de *persona* Petri. Huic sententiae astipulantur omnes exegetae moderni tam catholici quam etiam acatholici. Et re quidem vera, sacer textus sic simpliciter sonat: "Tu es Petrus (Kepha), et super hanc petram (Kepha) aedificabo . . ." Sensu ergo obvio et naturali nemo non intelliget hujusmodi verba referenda esse ad personam Petri.

N. B. *S. Augustinus* (Retract. lib, I, cap. 21, n. 1) dubitat, utrum praefata verba litteraliter intelligenda sint de Petro, an de Christo. Sed moderni omnes fatentur omni fundamento carere hujusmodi dubium, et verba illa referunt ad Petrum ipsum.

[5] De Rom. Pontif. Institutione, cap. 4.

c) Alii Protestantes tenuerunt verba "Super hanc petram" significare non personam Petri, sed ejus *fidem.* Ad quod sustinendum citant Patres illos, qui intelligunt non personam Petri, sed ejus *confessionem.*

Resp.—Persona Petri dessignatur *immediate,* ut constat ex omnibus circumstantiis sacri textus. *Mediate* autem dessignatur fides seu confessio Petri, quatenus propter hanc fidem seu confessionem, Petrus fundamentum Ecclesiae constituitur[6]. Patres tamen non excluserunt personam Petri, sed ejus fidem in divinitatem Christi adducunt, ut hanc divinitatem contra Arianos demonstrent.

III. — *Suntne genuina, an vero interpolata illa verba, "Et tibi dabo . . . . solutum in caelis"?*

Autumant interpolata esse nonnulli liberales et nonnulli modernistae. Sed ceteri omnes exegetae sustinent genuina esse. Et ratio est, quia "haec verba non solum in *omnibus* codicibus inveniuntur, sed absque haesitatione allegantur ab *Origene* (ap. Eusebium, H. E. VI, 25, 8), et *Tertulliano* (De Pudicit. 22, necnon apud De Aleatoribus, c. I), et Tatiani *Diatessaron,* ideoque ab Ecclesia tum graeca tum latina initio saeculi tertii, immo exeunte saeculo secundo, tamquam genuina habebantur: quod explicari nequit, si recenter fuissent interpolata"[7].

Obj. I.—Marcus et Lucas illa verba non citant.

Resp.—Eorum silentium nil obstat; quia non singuli Evangelistae singula Magistri verba referunt.

Obj. II.—"Ecclesia" est vox paulina. Ergo Christus eam non potuit adhibere.

Resp.—S. Paulus quidem saepe saepius adhibet praefatam vocem, sed non est ejus *inventor,* cum jam *Septuaginta* ipsam vocem adhibuerint ad designandum coetum religiosum Judaeorum. Nihil ergo impedit quominus Dominus adhibuerit analogo sensu ad dessignandum suum proprium coetum.

Obj. III.—Primatus Petri atque ecclesiasticae Hierarchiae institutio nonnisi *saeculo secundo* affirmari coepit.

Resp.—Hoc assertum falsum omnino est, ut probant A. Michiels, *L'origine de l'episcopat,* Louvain, 1900, et P. Batiffol, *L'Eglise naissante et le Catholicism,* Paris, 1909.

---

[6] Cfr. Knabenbauer, Evang. sec. Mt. in h. l., pag. 56 ss.

[7] Tanquerey, Theol. Fundament., edit. 15, pag. 383, nota 3.

ARTICULUS II.

Clavium potestas ceteris Apostolis promittitur.

Postquam Dominus constituit Petrum Caput Supremum Ecclesiae, eique spirituales tradidit claves, jam nunc etiam ceteris Apostolis potestatem ligandi solvendique promittit verbis a *S. Mattheo,* cap. 18, v. 18, relatis: *"Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo".*

Christus itaque Apostolis suis amplissimam promittit potestatem: *quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis.* Et ex hoc ipso magna exoritur quaestio circa potestatem Petro promissam: estne Apostolorum potestas aequalis Petri potestati, an Petri potestas major est Apostolorum potestate, seu, numquid in aliquo minuitur auctoritas et potestas Petri propter potestatem Apostolis promissam?

Respondeo cum SS. Patribus et Conc. Vaticano: Potestas Petri minime minuta fuit per illam potestatem Apostolis promissam. Audiatur, v. g., *Pius IX* Pastores Ecclesiae convocans ad Concilium (Vaticanum): "Antequam vero, devicta morte, triumphans in Caelum consessurus ad dexteram Patris (Christus) conscenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent Evangelium omni creaturae, eisque potestatem dedit regendi Ecclesiam . . . Ut autem ejusdem Ecclesiae regimen recte semper atque ex ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, caritate, et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consumationem saeculi promisit, tum etiam omnibus *unum* selegit Petrum, quem *Apostolorum principem,* suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque *Caput,* fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum *praecipuae* plenissimaeque auctoritatis, potestatis ac jurisdictionis amplitudine pasceret agnos et *oves,* confirmaret fratres, *universamque* regeret Ecclesiam, et esset Caeli Janitor, ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in Caelis judiciorum suorum definitione"[8]. Quidquid ergo faciunt Apostoli, quoad regimen Ecclesiae, faciunt, consulto Petro, qui Pastor est seu Supremus Moderator agnorum, sc., subditorum, et ovium seu Apostolorum reliquorumque Superiorum.

[8] Bulla *Aeterni Patris,* 29 Jun., 1868.—Cfr. Conc. Vat. sess. IV, cap. I.

"Amen dico vobis . . ." Nunc nobis inquirendum est quinam sint illi ad quos sermo dirigitur: dico *vobis*. Ex hujus capitis contextu evidenter deducitur sermonem esse ad Apostolos, et quidem solos. Nullus enim alius interfuisse videtur illa occasione, qua disputabant de majoritate in regno caelorum (h. cap. v. 1). Consequenter illud "vobis" nonnisi ad Apostolos referendum est.

Particula "Amen", secundum scripturistas, significat aliquid sollemne, mirandum atque extraordinarium. Miranda quidem et extraordinaria est potestas hic Apostolis promissa—sc., solvere et ligare, et quidem quaecumque, et eorum actus ratificandos in caelis esse—atque solemnis valde modus quo loquitur Dominus: "Amen dico vobis . . ." Magna quidem et amplissima ipsis promittitur potestas a Domino. Haec tamen amplissima potestas exerceri nequit, inconsulto Petro; nam si Janitor domum aperire non vult, nihil in domo facere poteris, quidquid sit de tua potestate. Ut autem aliquantulum cognoscere possimus hanc Apostolis promissam potestatem, necessario nobis est recurrendum ad contextum.

Apostoli Petrum videbant multis peculiaribusque modis honoratum a Domino. Ideo disputabant inter ipsos, et quidem inter ipsos solos (non enim probabile est se velle proprias imperfectiones, inter quas enumeranda quidem est illa aliqualis ambitio, pandere plebi), quisnam esset major in regno caelorum. Tunc Dominus, hac occasione arrepta, suos docet Apostolos sanctam humilitatem et simplicitatem, posito inter ipsos parvulo. Ob parvuli praesentiam, Dominus Apostolis praecipit ut magni faciant pusillos, quia eorum curam angeli gerunt; eos praeterea docet scandalum vitare; addiditque Dominus: "*Vae* mundo a scandalis; necesse est enim ut veniant scandala, veruntamen *vae* homini illi, per quem scandalum venit". Sed quamvis Dominus proferat illa terrifica "vae", attamen non desperat de salute hominis scandalum praebentis, atque proponit benignus et misericors aliqua media quibus salvari possint scandalosi necnon reliqui peccatores.

Primum medium a Domino propositum est correctio peccatoris *privata:* Si peccaverit frater tuus vade "et corripe eum inter te et ipsum solum". Si peccator correctioni acquiescat, nihil amplius faciendum est, nam "lucratus es fratrem tuum".

Secundum medium est correctio coram uno vel duobus, ut clarius videat peccator se male egisse, et sic emendationem promittat. Facilius enim credimus duorum vel trium testium testimonio, quam unius, cum "in ore duorum vel trium testium stet omne verbum" (Deut. 19, 15).

Tertium, medium: "Dic Ecclesiae". Si secundum medium inefficax fuit, rem deferas ad judicium Ecclesiae. "Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus". Si homo ille judicio atque sententiae Ecclesiae non se submittat, te geras erga ipsum sicut se gerunt Judaei erga paganos et publicanos: eos habent tamquam immundos, tamquam gravissimos peccatores, ab eorum consortio abstinent omnino, eosque tandem a synagoga absolute exclusos habent. Sit tibi ergo inobediens ille excommunicatus vitandus.

Hoc sane terribile est! Sed adhuc terribilius est quod sequitur: excommunicatio Ecclesiae ratificatur et confirmatur a Deo: "Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo . . . ."

Similiter sententia absolutoria Ecclesiae ratificatur et confirmatur a Deo: "Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo". Magnum solatium pro peccatoribus poenitentibus!

Per haec itaque verba "quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis", Dominus Apostolis plenissimam potestatem—"quaecumque"—promittit quoad peccatores. Possunt ergo Apostoli:

a) declarare quid licitum sit, quid vero non;—b) praescribere quod ipsis videatur necessarium aut utile ad peccatum vitandum salutemque animarum procurandam;—c) si aliquis peccaverit, possunt cognoscere de causa;—d) possunt etiam sententiam ferre *ligando,* peccatum sc. retinendo, poenas infligendo, vel *solvendo,* peccatum sc. condonando a poenisque peccatorem eximendo. Et haec omnia ratihabentur a Deo in caelo.

Clare ergo Apostolis Dominus promittit clavium potestatem hisce verbis. Haec autem potestas etiam Apostolis promittitur, quia Christi Ecclesia per omnes mundi partes diffundi debebat, et unus Petrus non potuisset omnia judicare per semetipsum.

Haec deductio non parvam sibi acquirit auctoritatem ex confessione protestantium interpretum, uti *Keil* et *Weis.* Cfr. Knabenbauer, l. c.

Nota I.—Ex expositis apparet omnino rejiciendam esse nonnullorum protestantium sententiam, qui tenent in praefato textu de *peccato* non agi. Quod agatur de peccato clare patet ex contextu. Dominus enim docens correctionem, supponit quemquam peccatum aliquod commississe, secus correctio inutilis esset. Immo expresse loquitur de peccato; ait enim: "Si *peccaverit* in te frater tuus . . ." Si autem frater peccans non vult recipere correctionem fraternam, "dic Ecclesiae". Quid? Peccatum fratris, ut Ecclesia videat quid agendum sit in casu.

Nota II.—Pariter rejicienda est sententia illorum protestantium, qui dicunt praefatam potestatem ecclesiasticam exerceri tantum in foro *externo* seu in facie Ecclesiae, et quidem non quoad omnia peccata, sed tantum quoad defectus commissos contra Ecclesiam; non autem exerceri in foro *conscientiae,* in foro interno seu coram Deo, nec quoad peccata contra Deum commissa.

1) Non excluditur peccatum aliquod; quia Dominus dicit: quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis. Ergo omne peccatum inclusit.

Forsitan opponetur illa restrictio "in te" ex contextu: "Si autem peccaverit in te frater tuus . . ." Sed haec objectio firma non est, cum fundamentum habeat in illis verbis "in te", de quibus disputatur, utrum sint genuina. Non esse genuina videtur cl. Knabenbauer, l. c., propter rationes a se allatas pag. 120 ss.

2) Quod autem Ecclesia exerceat suam potestatem etiam coram Deo, patet ex verbis Domini: si Ecclesia ligat, et caelum seu Deus ligat; si Ecclesia solvit, et caelum solvit. Ergo potestas ecclesiastica exercetur etiam coram Deo.

QUAESTIUNCULA.

Quid intelligatur nomine "Ecclesiae".

Juxta nonnullos protestantes, Ecclesiae nomine intelligitur *synagoga.*—Juxta alios, intelligitur *multitudo fidelium.*—Juxta catholicos autem intelliguntur *praesules* (Apostoli eorumque successores) societatis religiosae, quam Christus promisit aedificare seu constituere.

Haec ultima sententia omnino tenenda est. Nam Christus promisit aedificare Ecclesiam *suam* propriam: "Aedificabo

Ecclesiam *meam*" (Mt. 16, 18-19). Ergo quando Christus loquitur de "Ecclesia", non synagoga intelligenda est, sed illa societas a Christo instituta, quae Caput habet Petrum Pastoresque reliquos Apostolos. Hoc *evidens* esse affirmant vel ipsi moderni interpretes protestantes, v. g., *Keil, Weiss, Mansel.* Cfr. Knabenbauer, l. c.

Quod autem intelligantur *praesules* Ecclesiae, et non simplices fideles, patet, *primo,* ex eo quod, si quis ordinate procedere velit in aliquo negotio ad aliquam societatem pertinens, non recursum faciet ad subditos, sed ad praelatos illius societatis; subditi enim nihil facere possunt.—*Altera* ratio pro nostra sententia deducitur ex contextu. Christus enim docebat apostolos, et quidem solos; ergo intendebat Dominus ut causae ad ipsos deferrentur, cum ipsi duces constituti fuerint, non autem ad populum.—*Tertia* ratio est, ipsa judaica mentalitas. Judaicus enim populus agnoscebat seniores et omnino ignorabat summam potestatem penes populum esse. Proinde si Christus supremam potestatem penes populum esse voluisset in sua Ecclesia, debuisset hoc Apostolis declarare. Sed hoc non fecit, immo Apostolos selegit, et eos privatim docuit quomodo Ecclesia gubernanda esset. Ergo intendebat gubernium Ecclesiae Apostolis relinquere, non populo, ideoque ad ipsos recurrendum est.

CAPUT IV.

Potestas clavium Apostolis confertur a Domino.

In anteriori capite disputavimus de promissione clavium; et vidimus Dominum promisisse suis caris Apostolis amplissimam potestatem, in qua continetur clavium potestas sicut pars in toto. Vidimus etiam (licet obiter) Apostolos veros esse Pastores, sed esse Simoni Petro subjectos, qui a Domino constitutus est Caput Ecclesiae atque totius gregis, tam sc., populi quam Rectorum Moderator Supremus.

Nunc investigandum est utrum Dominus suam adimpleverit promissionem, utrum contulerit potestatem promissam. De hoc nullum haberi potest dubium, cum Dominus proclametur in sacris Litteris fidelis. Ergo quod promittit, adimplet. Dominum vero praefatae potestatis promissionem adimplesse post resurrectionem suam gloriosam abunde constat ex Evangelio *S. Joannis.*

En narrationem dilecti Discipuli Joannis: "Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati, propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt"[1].

Dominus, morte devicta, a mortuis resurrexit, vitamque immortalem sibi comparavit. Prima quae novit Christi resurrectionem secundum evangelicam narrationem, fuit Maria Magdalena, quae nuntiavit Apostolis in coenaculo congregatis corporis Christi disparitionem ex sepulchro ubi collocatum fuerat, necnon, ex Christi mandato, extraordinarium resurrectionis eventum.

Post hoc nuntium, ipse Dominus dignatus est suis dilectis discipulis apparere in coenaculo noctem versus, ipso resurrectionis die. Statim ac Dominum viderunt magno timore perterriti sunt discipuli. Sed Dominus ipsis reddit tranquillitatem

[1] Joan., 20, 19-23.

et pacem per assuetam judaicam salutationem: "Pax vobis"!—Deinde Salvator noster Apostolos certiores facit de sua mirabili a mortuis resurrectione eis ostendendo manus, quibus permagna operatus est opera atque miracula, necnon latus quod tantopere Deum atque genus humanum dilexit. Et gavisi sunt discipuli, viso Domino! Quis enim non gauderet, visa tanta majestate, tanta pulchritudine, viso tanto miraculo, visaque adimpletione facti jam pluries a Domino prophetati?

Jam Dominus suis Apostolis pacem dederat; sed quasi non contentus una tantum salutatione, iterum eos salutat, abundantiorem gratiam ipsis confert sua iterata salutatione, atque ipsos *officiali,* ut ita dicam, ***modo*** suos Apostolos, suos legatos constituit: "Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos". Eis committit eamdem missionem, quam Ipse a Patre caelesti recepit, eos constituit suos repraesentantes, ipsis tradit Ecclesiam gubernandam. Pater mihi divinam contulit auctoritatem, Ego eamdem vobis confero; Pater voluit ut Ego salutem humani generis procurarem, Ego volo ut vos eidem negotio operam navetis. Hisce ergo verbis aliqualem Dominus parallelismum statuit missionem suam inter et missionem Apostolorum. Notes parallelismum: Sicut . . . et (ita); Pater . . . ego; misit . . . mitto; me . . . vos.

"Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt".—*Insufflavit.* Cum Deus nihil frustra faciat, haec insufflatio nobis aliquid innuit novum ac singulare. Et re quidem vera, juxta Patres et commentaristas, haec insufflatio est actio symbolica qua voluit Christus significare collationem Spiritus Sancti: "Accipite Spiritum Sanctum", ait Dominus Apostolis. Attamen hic et nunc Spiritus Sanctus Apostolis datur non ad omnia, sicut in Pentecoste, sed ad speciale munus remissionis aut retentionis peccatorum. Ideo subdit Dominus Jesus: "Quorum remiseritis . . . " Adeo magnum, praeexcelsum atque delicatum munus est peccatorum remissio aut retentio, ut specialis requiratur Spiritus Sancti assistentia!

"Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt". En "Magna Charta" qua Ecclesia probat sibi divinitus fuisse commissam peccatorum remissionem!

Antequam evolvamus aliquantulum hunc textum S. Joannis notetur expedit confessio ***adversariorum,*** nonnullorum saltem.—*Dr. Lea* admittit hoc in textu de peccato remittendo agi. Sed duo saltem quae facit approbari nequeunt. ***Primum:*** lectores remittit ad verba *S. **Matthaei,*** 18, 18: "Amen, dico vobis quaecumque alligaveritis . . .", ad hoc ut intelligant verba S. Joannis: "Quorum remiseritis . . .". Hoc probari non potest, nam verba S. Joannis sunt litteralia et plana, dum verba S. Matthaei sunt metaphorica. Ideoque remittere lectores S. Joannis ad S. Matthaeum idem est ac velle explicare sensum clarum per sensum obscurum, saltem aliquantulum. Hoc autem nemo approbare potest[2].—*Alterum* quod admitti nequit hoc est: idea de hac potestate nonnisi lente evoluta est penes populum christianum; immo, addendum esset, penes ipsos Apostolos, cum Lea citet in suum favorem casum Petri cum Simone Mago, necnon casum S. Joannis cum latrone[3]. Admitti potest doctrinam de hac potestate paulatim propagatam fuisse penes primaevos christianos; quia erat doctrina nova, et nonnisi per Apostolorum praedicationem cognosci poterat, via ordinaria; praedicatio autem apostolica non statim ubique peracta fuit, ut constat ex historia. Sed falsae sunt rationes adductae a Dr. Lea. Una ratio est: Ecclesia primitiva donum hujus potestatis consideravit tamquam donum *personale* Apostolorum. Haec ratio non est ratio, sed simpliciter inventio doctoris Lea, quia nullum documentum primaevae Ecclesiae adducit—nec adducere potest—quo probari possit primaevos christianos hujusmodi persuasionem habuisse.—Secunda ratio: tempore quo evangelia conscripta fuerunt non exspectabatur Apostolos habere successores. Haec ratio falsa est, nam tempore quo S. Joannes suum conscripsit Evangelium (a. 80-95(?)), jam aliqui ex Apostolis de facto habuerunt successores. Ita, v. g., S. Jacobus Major qui ad caelos evolavit c. a. 42; S. Jacobus Minor c. a. 63; S. Petrus et Paulus c. a. 64.

Quid dicendum sit ad illud quod Dr. Lea profert de Apostolis Petro et Joanne paucis comprehendam.

Praeprimis notandum est Drem. Lea calami lapsum commisisse, quando dixit Philippum misisse Simonem Magum ad Deum; non enim fuit Philippus, sed Petrus qui hoc fecit, ut

---

[2] Cfr. Casey, Notes, pag. 6-7.
[3] Cfr. Casey, ibid., pag. 9-14.

legitur in Act. Apost., cap. 8, v. 19. Jamvero Petrus non dixit quidquam de confessione aut absolutione Simoni Mago; nam Simon Magus magis indigebat Dei timore et oratione ad obtinendam gratiam poenitentiae. Si autem Simon Magus fecisset quod Petrus ei consiliavit, proculdubio Petrus Simonem absolvisset. Si vero non legitur Petrum absolvisse Simonem Magum, ex hoc facto non deducendus est defectus potestatis in Petro, sed defectus dispositionis in Simone Mago. De potestate enim Petri habemus testimonium expressum in S. Evangelio; sed de dispositione Simonis nihil habemus in s. Scriptura, immo si quidquam constat ex s. Scriptura de Simone Mago, est hoc: de sua indispositione; quo in casu Petrus revera absolvere non potuit Simonem Magum. Attamen Petrus absolvere non potuit in casu non ratione defectus potestatis, sed ratione indispositionis Simonis.

Argumentatio Dris. Lea nisi in facto S. Joannis illogica est. Praesentatur S. Joannes,—ait Dr. Lea,—longo tempore orans ardenterque desiderans latronis illius (de quo *Eusebius,* H. E., III, 23) conversationem, cum potuisset S. Joannes latronem faciliter absolvere. Et cum hoc relatum non inveniatur, concludid Dr. Lea: ergo S. Joannes nihil scivit de potestate clavium. Numquid, quaeso, potestas clavium impedit quominus oremus pro conversione alicujus peccatoris? Minime gentium!—Praeterea, non quia volo aut desidero aliquem absolvere, possum ipsum absolvere, sed mihi prius inquirendum est, utrum dispositus sit necne. Si dispositus sit, eum absolvere teneor, velim nolim; si autem indispositus sit, eum absolvere nequeo, quamvis velim.—Insuper, S. Joannes aliquibus permansit diebus cum latrone illo, post hujus poenitentiam, usque dum ipsum *plene* cum Ecclesia reconciliavit. Cum autem inter *ordinarias* conditiones reconciliationis inveniatur absolutio, necessarium non fuit, ut historiographi explicitam mentionem de absolutione facerent, sicut nec mentionem faciunt de collatione Smae Eucharistiae; quia nonnisi intendebant specialem curam referre, quam S. Joannes assumpsit pro conversione illius latronis. Cfr. *Casey,* "Notes", ubi optime refutat Doctorem Lea.

Idem *Casey,* ib., pag. 7, affert confessionem, nobis pretiosam, *F. Mellor,* D. D., quem vocat non minus hostilem catholicae doctrinae quam Dr. Lea: "I cannot pretend,—ait Mellor,—to

challenge the doctrine of auricular confession and priestly absolution on *a priori* grounds, as if it were impossible for God Himself to invest an order of men with such stupendous power. He who can communicate the gift of tongues and prophecy and healing and miracle, cannot consistently be regarded as incapable of deputing the ghostly function in question. And further, I cannot imagine on the supposition that such authority was confided to mortal men, it could have been conveyed in terms more precise or more appropriate than those now under consideration. These concessions I make without reserve as due in all candor to the Confessionalists, whatever consequences they may be supposed to involve". Hisce verbis F. Mellor candide fatetur Deum *posse* committere alicui potestatem peccata dimittendi; capax enim est. Candide etiam fatetur Deum hujusmodi potestatem *contulisse,* et quidem terminis adeo *praecisis* et *appropriatis* ut meliores seligi non possent. Sic Dr. Mellor refutavit, licet inconscienter, Drem. Lea, qui dicit modum collationis valde imperfectum: "There is a serious deficiency in the grant".

Dominus ergo prius constituit Apostolos suos Legatos quoad *omnia* negotia Ecclesiae: "Sicut misit me Pater et ego mitto vos". Deinde *specialiter* eis committit munus peccata remittendi, postquam eis Spiritum Sanctum contulit: "Quorum remiseritis peccata . . .". Sed quoniam vox "peccatum" diversimode sumitur in sacris Litteris, expedit valde ut statuatur sensus quo sumitur praefata vox[4]. Peccatum enim significare potest: 1) *sacrificium* pro peccato; 2) fomem peccati seu *concupiscentiam;* 3) reatum *culpae;* 4) reatum *poenae.* Quo ergo sensu D. N. Jesus Christus loquitur de peccato in hoc loco: "Quorum remiseritis peccata . . ."?—Non loquitur de peccato, quatenus *sacrificium* pro peccato significat, praecise quia sacrificium pro peccato non potest remitti aut retineri, eo sensu sub quo loquimur. Christus quidem abolevit illa sacrificia pro Novo Testamento, sed eo tantum modo quo fiebant in Veteri Lege; Seipsum enim constituit sacrificium nostrum in Novo Foedere. Et hoc sacrificium nec remitti nec retineri potest.—Nec intendebat loqui Dominus de peccato, quatenus significat *concupiscentiam;*

[4] Cfr. Pohle-Preuss, Dogm. Theol., The Sacraments, vol. III, Penance, pag. 12 ss., Herder, 1917.

quia haec manet in homine, etiam quando est adornatus gratia sanctificante, proindeque non remittitur.—Loquitur ergo Dominus de peccato, prout significat *culpam,* quia sub hoc respectu remitti potest aut retineri, ut omnes fatentur tam sc., nostri quam adversarii. Loquitur etiam de peccato sub sensu reatus *poenae,* quia culpa et poena sunt termini correlativi, et quia pariter remitti aut retineri potest. Et de facto, eo ipso quod culpa deletur per sacramentalem absolutionem, deletur et poena aeterna, juxta catholicam doctrinam, quamvis non semper remittatur *tota* poena temporalis, juxta eamdem doctrinam.

CAPUT V.

De praecipuis collatae potestatis notis.

Solvendi ergo retinendique stupenda potestate Apostoli a Domino donati sunt. Nunc nobis evolvendus est sacer textus, tum educando varias qualitates quibus pollet praefecta potestas, tum repellendo errores falsasve opiniones occurentes. Quae omnia faciemus per varios articulos sequentes.

Tractandorum conspectus in hoc capitulo:

ARTICULUS I.

Potestas clavium est potestas permanens in Ecclesia catholica.

Praeprimis et ante omnia inquirendum est, utrum clavium potestas *permanens* sit in Ecclesia, utrum, sc., haec potestas transierit ad episcopos et presbyteros, an concessa fuerit Apostolis tantummodo.

Abaelardus ausus est sustinere "quod potestas ligendi atque solvendi *Apostolis tantum* data sit, non successoribus"[1]. Sed contra ipsum, Deo favente, habemus s. Traditionem constantissimam sustinentem hujusmodi potestatem exsistere penes catholicos episcopos et presbyteros.

Prob. (A) *Ratione fide illustrata.*—(a) Potestas clavium est verum et proprium sacramentum; sed sacramenta sunt quid per-

[1] Denz.-Ban., Ench. Symbol., n. 379.

manens, ut patet ex eorum definitione, sacramentum enim est signum sensibile, gratiae significativum et productivum, a Christo permanenter institutum; ergo.

(b) Potestas clavium instituta fuit a Christo Domino in favorem peccatorum; sed peccatores semper aderunt; ergo semper aderit clavium potestas.

(c) Cl. *Pesch*[2] pro permanentia clavium hanc adducit rationem: "Eodem modo,—ait,—data est haec potestas atque aliae potestates docendi, baptizandi, eucharistiam conficiendi, etc. Atqui omnes fatentur hae potestates manere in ecclesia. Ergo etiam potestas remittendi peccata".

N. B.—Dr. *Lea*[3] dicit Christum dedisse Apostolis tantum potestatem illam, quia illa aetate, qua scribebantur Evangelia, Apostoli non putabantur habituri successores, quia Dominus praedixerat diem judicii venturum esse antequam illa generatio praeteriret.

Resp. 1) Quoad illud de die judicii, seu de *Parousia,* cfr. Dr. *Shanahan* in "The Catholic World", mensibus Jan., Febr., Mar., a. 1918. Nunc ullam non instituo quaestionem hac de re, quia meum objectum non attingit.—2) Quod autem Apostoli non putarentur habituri successores, historice falsum est. Nam historia docet Apostolos non tantum putatos fuisse successores habuisse, sed de facto Apostolos *instituisse* successores, immo his mandatum dedisse ut rursus alios successores instituerent[4]. Cum ergo falsa sit ratio Dris. Lea, nihil probare potest ejusdem argumentatio contra nostrae potestatis transmissionem.

Prob. (B) *Tradit.* (a) *S. Clemens Romanus* statuit in sua *epist. ad Cor.* episcopos et sacerdotes locum tenere Apostolorum, ideoque, juxta ipsum, idem ministerium receperunt. Sed Apostoli peccata dimittendi potestatem receperunt; ergo.

Prob. maj. ex S. Clemente, qui ait: "Apostoli nobis praedicatores Evangelii facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo . . . (Apostoli autem) constituerunt episcopos et diaconos . . . ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, *ministerium eorum* alii viri excipe-

[2] Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 7.
[3] A History of Auricular Confession, vol. 1, pag. 108.
[4] Cfr. Pesch, Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 7, in nota.

rent"[5]. Cum autem ministerium Apostolorum contineat clavium potestatis exercitium, et cum episcopi receperint idem ministerium, ideo episcopi idem clavium ministerium exercere possunt. Hinc rebelles corinthios S. Clemens hortatur ut propria confiteantur peccata, et recipiant correctionem presbyterorum in poenitentiam: "Eorum (quae deliquimus) remissionem imploremus . . . Melius est homini peccata sua confiteri quam indurare cor suum . . . Vos, igitur, qui sediotionis fundamenta jecistis, in obedientia subditi estote presbyteris, et correctionem eorum suscipite in poenitentiam"[6]. Ergo clavium potestas cum Apostolis mortua non fuit, sed in Ecclesia permanet.

Sed fortasse quis dicat: "Hic mentio non fit de clavium potestatis exercitio".

Resp.—Mentio non fit explicita, conc.; non fit implicita, neg.; quia verba "correctionem suscipite in poenitentiam" indicant rebelles illos recursum fecisse non tantum ad Deum, sed etiam ad presbyteros, et quidem ad veniam obtinendam, ideoque presbyteri habent potestatem veniam concedendi, seu habent clavium potestatem.

Nec dicatur hic agi de actu *personali* et *privato* presbyterorum; nam, secundum contextum epistolae, non agunt tamquam personae privatim offensae, sed quatenus *ministerium* Apostolorum receperunt, ideoque exercent potestatem aliquam, quae non competit ceteris offensis personis, secus enim ad quid invocare ministerium Apostolorum, si agitur de re ab omnibus facienda?

(b) *S. Polycarpus,* S. Joannis Apostoli discipulus, vult ut "presbyteri sint . . . non severi nimis in judicio"[7]; ergo presbyteri, secundum S. Polycarpum, habent potestatem judicandi. Sed hanc non exercent nisi per claves; ergo claves remanent penes presbyteros.

(c) *S. Irenaeus* testatur exomologesim seu sacramentalem confessionem in Ecclesia fieri; et consequenter, indirecte saltem, clavium potestatem in Ecclesia permanere. Refert enim casum de illis mulieribus seductis a Marco haeretico[8]; refert etiam casum de Cerdone haeretico[9], qui pluries receptus est in Eccle-

[5] Rouet, n. 20-21.
[6] Rouet, n. 27.
[7] Epist. ad Philip.
[8] Rouet, n. 193.
[9] Migne, Patr. 7, 856.

siam per reconciliationem exomologeticam. Ergo S. Irenaeus agnovit in Ecclesia potestatem reconciliandi peccatores per exomologesim, seu non putavit clavium potestatem cum Apostolis exspirasse.

(d) Fides in exsistentiam et permanentiam clavium in Ecclesia invicte atque clarissime exprimitur in institutione *tribunalium poenitentialium.* Si enim episcopi non habuissent clavium potestatem, numquam instituissent hujusmodi tribunalia, nam illa institutio fuisset usurpatio adeo enormis et horrenda ut undique atque omnes protestati fuissent, de quibus protestationibus nullum adest vestigium. Ergo tam episcopi instituentes quam fideles se submittentes credebant clavium potestatem in Ecclesia extitisse.

(e) Etiam *S. Cyprianus* agnoscit in sacerdotibus potestatem absolvendi; fortiter enim carpit eos qui ad S. Communionem accedunt "ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu *sacerdotis*"[10].—Eamdem profert doctrinam, quando fideles hortatur ad confessionem: "Confiteantur singuli, quaeso, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et *remissio* (facta) *per sacerdotes* apud Deum grata est"[11].—Et in epist. ad *Antonianum* dicit Dominum poenitentibus veniam et pacem concedere "per sacerdotes ejus"[12]. Ergo, juxta S. Cyprianum, clavium potestas in Ecclesia permanet.

(f) Eamdem fidem exprimit *Firmilianus* in sua epist. *ad Cyprianum.* Ex verbis enim S. Evangelii concludit: "Potestas ergo remittendorum peccatorum apostolis data est, et *ecclesiis,* quae illi a Christo missi constituerunt, et *episcopis,* qui eis ordinatione vicaria successerunt"[13]. Clarioribus ergo verbis proponi non potest doctrina nostra.

(g) Hanc permanentiam sine ulla haesitatione profitetur *Origenes,* cujus doctrina sequentibus contineri potest[14]. Si aliquis fidelium in peccatum labitur, multa media recuperandi gra-

---

10 Rouet, n. 551.
11 Rouet, n. 553.
12 Rouet, n. 578.
13 Rouet, n. 602.
14 Cfr. Tixeront, Histoire des Dogmes, I. La Theologie Anteniceene, pag. 299.

tiam habet, quorum praecipuum est poenitentiae sacramentum.—Poenitens peccatum suum celare non debet, si sanari velit: "Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus". Sed cuinam pandendum est peccatum? Numquid Apostolis? Non; jam enim mortui sunt. Cuinam ergo? Peccator debet "*sacerdoti* Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam". "Consequens enim est ut . . . etiam ministri et sacerdotes Ecclesiae peccata populi accipiant, et ipsi, imitantes Magistrum, *remissionem peccatorum tribuant*".—Ad sacerdotem etiam judicare pertinet "quinam languor" seu quodnam peccatum "in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari". Alio in loco tandem dicit Origenes: "Israelita si peccet, id est laicus, ipse suum non potest auferre peccatum; sed requirit levitam, *indiget sacerdote,* immo potius et adhuc horum aliquid eminentius requirit: pontifice opus est, ut peccatorum remissionem possit accipere". Itaque, juxta Origenem, clavium potestas data fuit non tantum Apostolis, sed etiam eorumdem successoribus, sc., Episcopis et sacerdotibus.

(h) Probatur etiam nostrum assertum ex celeberrima *controversia catholicos inter et montanistas.*—Acerrime quidem disputarunt de clavium potestatis *extensione,* necnon de ministro clavium; sed ullam non moverunt quaestionem de clavium potestatis *exsistentia* atque *permanentia* in Ecclesia, immo exsistentiam et permanentiam clavium tamquam veritates inconcussas habent, cum nonnisi de clavium extensione pertractent. Ergo utrique persuasi erant tum de exsistentia tum de permanentia clavium. Hoc probatur per *Tertullianum,* qui montanistarum celeberrimus est.

Tertullianus, quando catholicus erat, exprimit catholicam doctrinam, et consequenter supponit confessionem faciendam esse episcopo vel suo delegato in ordine ad obtinendam absolutionis gratiam[15]. Quando vero montanistam se fecit clavium potestatem *restrinxit,* sed ejus permanentiam in Ecclesia non negavit, immo eamdem affirmavit, ut constat ex suo montanistico lib. *De Pudicitia,* ubi ait: "De levioribus delictis veniam *ab episcopo* consequi poterit"[16]. Per illa verba "levioribus delictis" significantur, ex contextu, non tantum peccata venialia, sed etiam

[15] Cfr. Tertull., in suo lib. De Poenit.
[16] Rouet, n. 386.

peccata mortalia, quae non sunt adulterium, homicidium aut idololatria, quae Tertullianus ibidem vocat majora et irremissibilia.—Eamdem permanentiam agnoscit in solutione objectionis quam sibi facit Tertullianus circa potestatem Ecclesiae, cui objectioni sic respondet: "Sed, habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. *Hoc ego magis agnosco et dispono,* qui ipsum Paracletum in prophetis nobis habeo dicentem: potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant"[17]. Agnoscit ergo Ecclesiam, seu praelatos ecclesiasticos potestatem habere, sed nonvult ut hujusmodi potestas exerceatur, "ne et alia delinquant" peccatores.

Obj.—Tertullianus dicit potestatem datam fuisse S. Petro *personaliter;* ergo data non fuit Ecclesiae. "De tua nunc sententia quaero,—ait Tertullianus[18],—unde hoc jus Ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves regni caelorum,* vel: *Quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata et soluta in caelis;* idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est, ad omnem Ecclesiam Petro propinquam? Qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem *personaliter* hoc Petro conferentem? *Super te,* inquit, *aedificabo Ecclesiam meam,* et: *dabo tibi claves,* non Ecclesiae; et: *Quaecumque solveris vel alligaveris,* non quae solverint vel alligaverint".

Resp.—Prima fronte videtur Tertullianus denegare permanentiam clavium. Sed si attente consideretur ejus intentio, nonnisi negat Ecclesiam posse absolvere adulterium, homicidium et idololatriam; quia hic est scopus libelli *De Pudicitia.* Non ergo negat absolute clavium potestatem, sed tantummodo restringit. Dicit praeterea, potestatem solvendi atque ligandi personaliter Petro collatam esse; sed hoc non dicit ad negandam ipsam potestatem, quam, ut superius vidimus, agnoscit, sed ea intentione dicit illud, ut probat *psychicos* seu catholicos recte non procedere in absolvendo supra relata crimina, recteque procedere *pneumaticos* (montanistas) in denegando absolutionem, cum tribuant hujusmodi potestatem soli Petro. Questio ergo magis videtur de ministro potestatis, quam de ipsa potestate; et Tertullianus reprobat tantum praxim psychicorum, qui, cum carnales sint,

---

[17] Rouet, n. 387. [18] Rouet, ibid.

non sapiunt sicut pneumatici, qui spirituales sunt.—Tertullianus tandem propter aestum disputationis oblitus est Dominum clavium potestatem promississe atque contulisse non tantum Petro, sed etiam aliis Apostolis, et tunc locutum fuisse numero *plurali;* ideoque ultima Tertulliani verba nullum habent valorem.

(i) *S. Pacianus* invicte contra novatianos probat sacerdotes possidere claves, nec tantum Apostolis concessas fuisse: "Numquid Deus non poenitenti non comminaretur, nisi ignosceret poenitenti? Solus hoc, inquis, Deus poterit. Verum est; sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: *Quaecumque ligaveritis* . . .? Cur hoc si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quodsi uno in loco et solutio vinculorum et sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma et potestate deductum est, aut illud ex decretis relaxatum est . . . Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi"[19]. Clariori atque profundiori modo, ut mihi videtur, refelli nequit assertum Abaelardi.

(j) Ideo *S. Ambrosius* aiebat, considerata hac transmissione clavium: *"Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio"!*[20]. Et alio in loco S. Doctor dicit quod jus solvendi atque ligandi est "jus" quod "solis permissum sacerdotibus est"[21].—Nostram doctrinam edocet etiam hanc objectionem solvendo: "Impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur"[22].

(k) *S. Augustinus* quaerit: "Non sunt istae claves (solvendi atque ligandi) in Ecclesia, ubi *quotidie* peccata dimittuntur"?[23]. Ergo nullum habebat dubium de clavium transmissione in episcopos et sacerdotes. Ideo ad fideles dicebat: "Nec eos audiamus, qui negant *Ecclesiam* Dei omnia peccata posse dimittere.

---

19 Rouet, n. 1344.
20 In Ps. 38, n. 37.
21 Rouet, n. 1293.
22 De Poenit., lib. 2, cap. 2, n. 12.
23 Serm. 149, n. 7.

Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt"[24].

(l) In *Constitutionibus Apostolorum,* lib. 2, cap. 11, Apostoli introducuntur ad episcopum dicentes: "In ecclesia sede sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos qui peccaverunt. Quoniam *vobis episcopis* dictum est: *Quorum ligaveritis* . . . Judica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus".

(m) Etiam in sacra *Liturgia* commemorantur claves atque exprimitur sensus de ipsarum clavium permanentia in Ecclesia. Ita in *Canonibus Hippolyti* petitur in ordinatione episcopi: "Tribue, etiam illi, Domine, episcopatum et spiritum clementem ad redimenda peccata; et tribue illi facultatem ad dissolvenda omnia vincula iniquitatum daemonum".—In *Constitutionibus ecclesiae aegyptiacae* pro episcopo petitur: "Peccata dimittat juxta praeceptum tuum . . . et in virtute potestatis Apostolis tuis collata, omnia poenarum vincula solvat"[25].

(n) *S. Atanasius* sacerdotem clavium possessorem proclamat: "Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus Spiritus Sancti gratia illuminatur, ita qui confitetur in poenitentia per sacerdotem Christi remissionem accipit"[26].

(o) Eumdem conceptum exprimit *S. Joannes Chrys.* de sacerdotibus: "Neque enim tantum nos regenerant (sacerdotes per baptismum), sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt"[27]. Et ratio quare sacerdotes hoc facere possunt est, quia Dominus noster Jesus Christus eis hanc caelestem contulit potestatem: "Quaecumque inferne (hic in terris) sacerdotes faciunt eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit quam omnem caelestium potestatem? Nam: *Quorum,* inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quae major hac potestas fuerit? *Omne judicium dedit Pater Filio,* videoque ipsum omne illis (sacerdotibus) traditum a Filio fuisse"[28].

(p) *S. Leo Magnus* reprobat illam quorumdam episcoporum pravam consuetudinem publice legendi confitentium peccata

---

[24] De Agon. Christ., cap 3.
[25] Cfr. Tanquerey, De Poenit., pag. 504.
[26] Rouet, n. 801.
[27] Rouet, n. 1120.
[28] Rouet, n. 1119.

coram omnibus, etiam laicis; eamque reprobat, quia est "contra apostolicam regulam", et ex eo quod "indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri". Ideo S. Pontifex in memoriam revocat episcoporum illorum quod "reatus conscientiae sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta"[29]. Nullum ergo dubium habet de clavium transmissione in successores Apostolorum.

A saec. V ad usque saec. XII habemus constantissimam attestationem Patrum et scriptorum, qui rem nostram docent tamquam veritatem inconcussam et ab omnibus admissam, ut videre est, v. g., in *Libris Poenitentialibus,* qui, supponentes tamquam certam clavium exsistentiam et permanentiam in Ecclesia, regulas tradunt practicas ad rectum clavium exercitium et usum.

Itaque *Abaelardus* nullum fundamentum habuit ad nostram veritatem denegandam.

Post Abaelardum, nullus negavit exsistentiam clavium in Ecclesia, quamvis multi èrraverint circa *ministrum.* Ita v. g., Waldenses, Wicleffitae, Hussitae et Fraticelli dicebant sacerdotes *pravos* non habere clavium potestatem, eamque habere simplices fideles *bonos.*—Protestantes tenent omnes fideles sacerdotes esse, ideoque omnes habere hanc potestatem. Etiam ii errores nobis inserviunt ad confirmandam clavium potestatis permanentiam in Ecclesia; quia hujusmodi haeretici, quamvis errent circa ministrum, persuasi tamen erant de exsistentia clavium; secus claves non tribuissent huic vel illi personae.

Potestas ergo peccata remittendi vel retinendi non tantum Apostolis, sed etiam "eorum legitimis successoribus" episcopis sc., et sacerdotibus, fuit communicata, sicut "universorum Petrum consensus semper intellexit"[30], et Ecclesia semper docuit ac tenuit.

ARTICULUS II.

Clavium potestas non est potestas Evangelium praedicandi.

Ex sacra et veneranda Traditione clare atque invicte constat clavium potestatem ad episcopos presbyterosque transiisse. In hoc autem articulo atque in sequentibus intimius consideranda est potestas illa.

---

[29] Den.-Ban., n. 145 ss.
[30] Conc. Trid., sess. XIV, cap. I, De Poenit.

Antequam explicetur quid sit potestas illa, statuendum est, contra protestates, quid non sit. Protestantes enim clavium potestatem confundunt cum potestate *praedicandi* evangelium et cum potestate baptizandi. Primum discutietur in praesentiarum, alterum in articulo sequenti.

Clavium potestas non est potestas Evangelium praedicandi.

Prob.—Primo.—Verba "Remittere" et "Praedicare" non sunt synonima neque philologice neque scripturistice; ergo differentes habent significationes. Ideoque Dominus diversas dedit potestates Apostolis per praefata verba.

Ulterius.—Si verba *"Remittere* peccata" sunt synonima verbis *"Praedicare* Evangelium", quid significant verba *"Retinere* peccata"? Dici nequit: a) verba "Retinere peccata" significare *"non*-remittere peccata", quia hoc implicat contradictionem. Apostolus enim haberet potestatem remittendi peccata et simul non haberet. Non haberet potestatem illam, quia "Remittere" non significat "Remittere", sed significat "Praedicare", juxta protestantes; et simul haberet Apostolus praedictam potestatem, quia "Retinere" significat "non-remittere", non quatenus implicat carentiam potestatis, sed quatenus significat *nolle* concedere beneficium absolutionis. Dicere ergo verba "retinere peccata" significare *"non*-remittere peccata" est patens contradictio, si quis cum protestantibus asserere velit verba "Remittere peccata" significare "Praedicare Evangelium".—Neque dici potest: b) verba "Retinere peccata" idem esse ac *"non*-praedicare Evangelium alicui homini", quia hoc est contra statutum Domini Nostri Jesu Christi. Dominus enim Apostolis praecepit: "Euntes ergo in universum mundum praedicate Evangelium *omni* creaturae"[31], i. e., omnibus hominibus, nullo excepto. Ergo Apostoli non poterant excludere quemquam a praedicatione; et consequenter verba "Retinere peccata" non significant, immo nec significare possunt, *"non*-praedicare Evangelium alicui homini". Immo si Apostoli non praedicassent omni creaturae, sed aliquem exclusissent a praedicatione, puniti fuissent juxta illud Apostoli Pauli: "Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero"

[31] Mc., cap., ult., v. 15.

(1 Cor. 9, 16). Ergo "Retinere peccata" non significat "non-praedicare".

Ultimo.—Quod "Remittere peccata" non significet "Praedicare" constat etiam ex absurdis. Ridiculum enim est asserere Dominum dixisse paralytico: confide, fili; praedicatur tibi evangelium, quando ei dixit: "Remittuntur tibi peccata tua"[32].—Pariter ridiculum est exhibere Dominum nostrum tamquam dicentem: Pater, praedica nobis Evangelium, sicut et nos praedicamus evangelium commilitonibus nostris, quando dixit: "Pater, . . dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris"[33]. Dicere ergo "Remittere" non significare remittere, sed significare "Praedicare", nihil aliud est nisi manifesta detorsio sacrae Scripturae atque abusus communis sensus.

N. B.—Sanctorum Patrum testimonia afferri nequeunt contra protestanticum assertum, quia nullus eorumdem PP. cogitavit de hujusmodi insania. Omnes enim verbum "Remittere" sumpserunt in ejus naturali, proprio et obvio sensu.

Doctrina Conc. Tridentini.—Jure meritoque S. Conc. Trid. sequentem Christi fidelibus proposuit doctrinam: "Dominus . . . sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit . . . Quare verissimum illorum verborum Domini sensum sancta Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem, falso detorquent"[34].—Sanam denique doctrinam sancta Synodus dogmatice definivit, atque protestanticum anathemate repulit errorem: "S. q. d. verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Poenitentiae,

[32] Mt. 9, 2.
[33] Ibid. 6, 12.
[34] Conc. Trid., sess. 14, cap. I, De Poenit.

sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium, A. S."[35].

Nostra tandem aetate iterum Ecclesia professa est verba "quorum remiseritis . . ." referri ad sacramentum Poenitentiae, damnans sequentem *Modernistarum* propositionem: "Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata* . . . ., minime referuntur ad sacramentum Poenitentiae, quidquid Patribus tridentinis asserere placuit"[36]. Ad nil aliud ergo referuntur praefata verba nisi ad sacramentum Poenitentiae. Et jure meritoque hoc asseruerunt Patres tridentini, quia hoc est conforme sacro textui, quidquid dicant protestantes et modernistae.

ARTICULUS III.

Clavium potestas est omnino distincta a baptizandi potestate.

Postquam vidimus clavium potestatem confundendam non esse cum praedicandi potestate, nunc nobis repellendus est alius protestanticus error confundens clavium potestatem cum *baptizandi* potestate. Sed contra,

Cum Ecclesia catholica tenendum est hujusmodi potestates esse plane distinctas.

Probatur nostrum assertum.

(a) Baptismus et Poenitentia differunt inter se ratione *materiae* et *formae*. Baptismi enim materia est aqua; forma est: Ego te baptizo in nomine Patris . . . Poenitentiae autem materia sunt peccata; forma sunt verba: Ego te absolvo a peccatis tuis. Sed nemo non videt has res esse plane distinctas. Ergo.

Obj.—Sed aliquis protestans objicere potest: "Romanenses" has differentias introduxerunt.

Respondeo negando; nam hae differentiae suum habent fundamentum in sacris Litteris. Quoad baptismum Dominus dicit: "Nisi quis renatus fuerit *ex aqua* et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei"[37]. Hisce verbis Dominus nos docet quidem baptismi necessitatem directe, sed pariter, indirecte saltem, nos docet baptismi materiam, sc., aquam. Verba adhibenda in baptismi administratione Dominus docet penes Mt., 28, 19:

[35] Ibid. can. 3. [36] Den.-Ban., n. 2047. [37] Joan. 3, 5.

"Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti".—De Poenitentia vero, ut saepius audivimus, Dominus dicit: Quorum remiseritis peccata, etc. Adhibendum est ergo aliquod verbum quod indicet remissionem illam, v. g., absolvo te a peccatis tuis; quibus verbis indicatur et materia et forma.

N. B.—Nonnulli thomistae, v. g., *Vivo*[38], sibi constantes non sunt relate ad materiam proximam, ut dicunt, sacramenti poenitentiae. Quando enim agunt contra Scotistas de materia proxima, tenent pro aris et focis actus poenitentis esse materiam *proprie* dictam; quando vero agunt contra protestantes, hujusmodi actus vocant materiam *non* proprie dictam, sed quasi-materiam vel dispositiones. Hic agendi modus non placet, quia de facile confundi potest, praesertim a tyronibus, quaestio dogmatice definita contra protestantes cum quaestione disputabili inter theologos. Hoc nemo non videt inconveniens esse; ideoque argumenta desumenda sunt ex fontibus certis.

(b) Alia differentia inter baptismum et poenitentiam desumitur ex *collatione* potestatum baptizandi et remittendi.—Quoad baptismum Dominus simpliciter Apostolis injungit: Baptizate.—Quoad poenitentiam vero plura facit: prius promittit potestatem, atque postea confert eamdem. Potestas baptizandi est simplex; potestas autem remittendi duplex est: aut remittere aut retinere. Ergo clare patet Dominum intendisse diversas Apostolis potestates per illos actus diversos conferre, nisi quis (quod Deus avertat!) dicere velit Dominum jocum facere aut decipere voluisse.

(c) Baptismus et poenitentia differunt etiam ratione *ministri.* —Baptismus conferri potest non solum a sacerdote, sed etiam, in casu necessitatis, a quacumque persona rationis usum habente, etiam a femina. Poenitentia autem nonnisi a sacerdotibus, et quidem, non ab omnibus (excepto mortis articulo, tunc enim omnes sacerdotes jurisdictionem habent), sed ab iis tantum, qui jurisdictionem habent.

(d) Differunt etiam ratione *subjecti.*—Baptismus confertur infidelibus tantum. Poenitentia Christi fidelibus tantum.—Baptismus confertur omnibus, etiam infantibus. Poenitentia vero adultis tantum, et quidem rite dispositis. Ergo.

[38] Disputatio de Re sacram., tom. 3, pag. 44, edit. Neapolitana, 1886.

(e) Differunt ratione *effectus.*—Baptismus confert gratiam et characterem indelebilem. Poenitentia confert gratiam tantum. —Baptismus meram producit cancellationem debiti. Poenitentia est absolutio vere juridica (de qua postea).—Baptismus facit membra Christi. Poenitentia mundat membra illa.—Baptismus aufert quodcumque peccatum, sive originale sive personale. Poenitentia aufert tantummodo peccatum personale. Ergo.

(f) Ratione *frequentationis.*—Baptismus nonnisi semel confertur; semel enim quis nasci potest sub eodem respectu. Poenitentia quoties necessitas adest, confertur; poenitentia enim est mundatio; mundatio autem repeti potest quotiescumque necessaria est. Ergo.

(g) *Attributione* operationis.—In baptismo operatio tribuitur in sacra Scriptura virtuti aquae et Spiritui Sancto; et haec operatio est simplex reconciliationis ministerium. In poenitentia operatio tribuitur voluntati et judicio absolventis; et haec operatio est vere judicialis. Ergo.

(h) Baptismum differre a poenitentia liquido patet etiam *ex antiquorum consensu* tam catholicorum quam haereticorum.—Antiqui enim cognoverunt duas remittendi peccata vias: de una omnes consentiebant, de altera disputabant. Hae duae viae sunt baptismus et poenitentia. Alias etiam cognoverunt vias, sed de his non disputabant. En quaestio: Potestne Ecclesia peccatorem gravissimis etiam criminibus reum ab illis criminibus mundare? Per baptismum potest, respondebant omnes, tam catholici quam haeretici, sc., montanistae atque novatiani. Potestne Ecclesia peccatorem illum ab illis criminibus mundare per poenitentiae sacramentum? Potest, respondebant catholici; haeretici autem, montanistae et novatiani, negabant Ecclesiam posse peccatorem absolvere ab idololatria, fornicatione et homicidio; sed concedebant Ecclesiam posse alia peccata remittere per praedictum sacramentum poenitentiae. Utrique ergo distinguebant unam ab altera potestate, baptismum sc., a poenitentia. Utrique admitebant poenitentiam tamquam medium absolutionis, licet haeretici restringebant poenitentiam ad certa peccata. Ideoque praescriptionis argumento firmatur etiam catholica veritas de distinctione baptismi a poenitentia.

Jure ergo meritoque Sancta Mater Ecclesia tenuit ac tenet praefata sacramenta esse plane distincta. Hanc doctrinam ex-

ponit in sess. XXIV, cap. II, sancta Tridentina Synodus, eamdemque munit canone hoc: "Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, A. S."[39].

Nostris etiam diebus, *Sanctum Officium,* per decr. "Lamentabili", eamdem doctrinam docuit modernisticum commentum damnans: "Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in Baptismum, sc., et Poenitentiam[40]. Non usus ergo, sed expressa Christi voluntas, expresse manifestata, est causa distinctionis baptismum inter et poenitentiam.

N. B.—Nonnulli citantur Patres, ut Cyrillus et Augustinus, tamquam intelligentes verba, "quorum remiseritis . . ." de baptismo. Sed, ut apparet ex contextu, videntur loqui sensu *accommodatitio.*—Praeterea, non excludunt catholicam interpretationem.

ARTICULUS IV.

Clavium potestas est potestas vere remissiva peccati, non autem declarativa tantum.

Rejectis protestanticis placitis clavium potestatem confundentibus cum potestatibus praedicandi et baptizandi, jam ad characterem vere remissivum clavium accedendum est.

Haec catholica doctrina clarior apparebit, examini subjectis: a) errore Judaeorum et Novatiani; b) opinione Richardi a S. Victore; c) opinione nonnullorum Scholasticorum, et d) Pseudoreformatorum errore.

§ 1. *Error Judaeorum et Novatiani.*

Judaei et, juxta plures Patres[41], *Novatianus* asseruerunt hominem minime posse peccata dimittere, sed tantummodo Deum posse.

Haec assertio dupliciter repelli potest: aut negando absolute, aut distinguendo.

a) *Absolute negando* responderi potest, quia Dominus noster Jesus Christus hanc potestatem hominibus dedit: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis . . ." Negatur ergo quod homines non habeant hujusmodi potestatem. Ideo *S. Petrus*

---

[39] Trid., sess. 24, can. 2.

[40] Decr. "Lamentabili", propositione 45.

[41] Vide supra cap. 2, art. 2.

Chrysologus[42], citatis S. Joannis verbis, ita prosequitur: "Ubi sunt, qui *per homines* hominibus peccata remitti non posse praescribunt? . . . Remittit Petrus peccata et toto cum gaudio suscipit poenitentes atque *omnibus sacerdotibus* hanc a Deo concessam amplectitur potestatem".—Ideo etiam *Hugo a S. Victore* merito infert: "Ergo Christus homo discipulis suis vicem ejus agentibus in terra potestatem dedit dimittendi peccata"[43].

b) Etiam *distinguendo* solvi potest dictum judaicum et novatianum: Homo nequit peccata dimittere, dist.: auctoritate *propria* et ex se, tamquam causa principalis, conc.; auctoritate *delegata,* seu communicata a Deo, atque ut causa instrumentalis libera et secundaria, neg.; Christus enim hanc auctoritatem suis sacerdotibus communicavit, ut constat ex mox citatis verbis: "Quorum remiseritis peccata . . ." Sic questionem solvunt sancti PP. et magni theologi, v. g., S. Pacianus, S. Ambrosius, Hugo a S. Victore, Alexander Halensis aliique.

1. *S. Pacianus* ad Sempronianum[44] ait: "Solus hos (dimittere peccata), inquis, Deus poterit. Verum est,—reponit S. Praesul—sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est".—Et in epist. 3, n. 7, sequenti ratiocinatur modo: "Ceterum quod ego facio, id non *meo* jure, sed Domini. Quare sive baptizamus sive ad poenitentiam cogimus seu veniam petentibus relaxamus, *Christo* id *auctore* tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit".

2. Similiter *S. Ambrosius* arguit contra novatianos: "Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio pecatorum omnium est: quid interest, utrum *per poenitentiam,* an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? Nonne *Dei* nomen operatur?"[45].

3. Deus dimittit peccata,—ait *Hugo*[46],—et homo, cui Deus potestatem dedit, peccata dimittit; "sed aliter Deus aliter homo, Deus enim *ex semetipso* et per semetipsum peccata dimittit

[42] Serm. 84.
[43] De Sacram., lib. 2, p. 14, cap. 1; M. P. L., tom. 176, col. 552.
[44] Epist. I, n. 6.
[45] De Poenit., lib. 1, cap. 8, n. 36.
[46] M. P. L., 176, col. 147.

quando vult; homines autem non ex se, sed *ex gratia* in eis et per eos operante, peccata dimittunt".—*Magister Halensis,* O. F. M., similiter respondet ad hanc, quam sibi facit, objectionem: potestas ligandi "*solius* Dei est, dicendum quod hoc intelligitur esse solius Dei auctoritate sive a se; praelatorum Ecclesiae est ministerio dato a Deo, non a se"[47]. Simili modo respondent subsequentes theologi.

§ 2. *Opinio Richardi a Sancto Victore.*

Si quis legat *Richardi a S. Victore* opusculum, cui titulus: "Tractatus de potestate ligandi et solvendi"[48], ad hanc, ni fallor, veniet conclusionem: juxta Richardum, sacerdos revera non dimittit peccata ipsa, sed tantummodo *poenam* peccati. Haec conclusio firmatur praesertim capite VII et capite X praecitati opusculi, ubi colligendo dicit: "Constat itaque, quod superius diximus, illud vinculum quod est ad obligationem *culpae, solus Dominus valet* et solet per semetipsum solvere; illud autem quod est ad obligationem *poenae,* tum per semetipsum, tum per ministrum suum solet dirumpere".

N. B. Mirum valde est, quod Richardus defendat remissionem poenae tantum, atque non etiam peccati. Et mirum valde est, quia Richardus invicte refutavit sententiam de *declaratione* seu *ostensione* (vide § sq.), aurea exegesi facta in verba Domini quibus potestatem concessit. Utinam sustinuisset exegesim illam in toto tractatu!

Crisis.—Haec opinio, salva reverentia tanto theologo debita, rejicienda est; utpote quia non plane explicat Domini nostri Jesu Christi verba: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis . . ." Dominus enim noster loquitur de remissione *peccati,* ut patet ex textu. Ergo jure Domini verba ad *poenam tantum* restringi non possunt. Ideoque rejicienda videtur haec sententia.

Si objiciatur *solum* Deum peccata dimittere posse, respondetur, sicut prius in anteriori §, sc., Deus dimittere potest auctoritate *propria,* homines autem auctoritate a Deo *communicata.*

N. B. Propter eamdem insufficientiam non placet quorumdam Scholasticorum illa quasi limitatio, juxta quam, clavium potestas nonnisi "*quodammodo*" attingit ad remissionem peccati.

[47] Summa Theologiae, part. IV, q. 20, membro 6, art. 3, § 1.
[48] M. P. L., 196, 1159-1178.

Dominus enim non dicit: quorum *quodammodo* remiseritis peccata . . . Sed simpliciter seu sine ullo additu dicit: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis".

§ 3. *Opinio nonnullorum Scholasticorum.*

I.

Opinio ipsa de ostensione.

Nonnulli Scholasticorum, ut refert *Hugo a S. Victore*[49], tenuerunt sacerdotes semper et tantummodo *ostendere* peccatorem solutum vel ligatum esse: "Dicunt quidam,—ait Hugo, loc. cit.,—quod illud quod sacerdos dicitur solvere, non est aliud quam solutum ostendere: similiter dicitur ligare, id est, ligatum ostendere".—Pro hac sententia citantur *Petrus Lombardus,* Magister Sententiarum, *Alexander Halensis,* qui *primus* Sententiarum librum, tamquam *textum,* in scholis adhibuit, *S. Bonaventura,* aliique.

Quod *Petrus* docuerit hanc sententiam negari non potest, cum clare pateat ex suo lib. IV Sent., dist. XVIII, ubi inter alia dicit "quid tenendum" sit, juxta ipsum, circa quaestionem de potestate ligandi atque solvendi: "Hoc sane dicere ac sentire possumus, quos solus Deus peccatum dimittit ac retinet, et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi; sed aliter ipse solvit et ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum ita dimittit peccatum, quod et animam mundat ab interiori macula et a debito aeternae mortis solvit"[50]. "Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi et solvendi, id est, OSTENDENDI homines ligatos vel solutos . . ., quia, etsi aliquis apud *Deum* sit solutus, non tamen in facie *Ecclesiae* solutus habetur nisi per sacerdotis judicium"[51].

Quoad *Alexandrum Halensem,* res aliter omnino se habet. Praedictam enim opinionem non docet, immo expresse reprobat, cum dicit: "Haec sententia tam frivola est quam ridenda"[52]. Et adductis rationibus contra eamdem sententiam, concludit: "Tenendum est ergo, hanc sententiam esse *nullam*".—Juxta Alexandrum, praeterea, non tantum Deus, sed etiam sacerdos, absolvit

[49] M. P. L., 176, 147.
[50] Sent. IV, d. 18, cap. 5, edit. Quaracchi secunda, tom. II, pag. 862.
[51] Ibid., cap. VI, et idem repetit cap. VIII.
[52] Sum. Theol., part. IV, q. 20, membro 3, a. 2.

a *peccato;* attamen sacerdos absolvit non propria auctoritate, sed auctoritate a Deo data est et cooperative: "Potestas ligandi ac solvendi *a peccato* est solius Dei, proprie et per se loquendo, et quodam modo cooperative est ipsorum sacerdotum . . . . De hac cooperatione intelliguntur verba Domini in Matthaeo et Joanne . . ." Et ibidem membro 6, art. 3, explicat quo sensu ligandi et solvendi potestas "solius Dei" sit, sc., "auctoritate sive per se"; quoad Ecclesiae praelatos declarat eos absolvere ac ligare posse auctoritate Dei: "Praelatorum Ecclesiae est ministerio dato a Deo, non a se".

Itaque nullum adest dubium (saltem ut mihi videtur) circa mentem Doctoris *Irrefragabilis* Alexandri, quidquid dicat *Estius*[53].

Quoad *S. Bonaventurae* mentem, res non ita claret. Attamen, diligenter inspecta S. Doctoris terminologia, magis accedit ad opinionem Hugonis et Alexandri, quam ad opinionem Richardi et Petri Lombardi.

"Si quaeratur,—ait S. Bonaventura[54],—utrum *potestas clavium* se extendat ad delendam culpam; dicendum quod bene potest se extendere per modum *deprecantis* et *impetrantis* . . .; sed per modum *impertientis* non. Quoniam ergo *potestas* sonat per modum *activi* et *impertientis* EX SE; hinc est, quod potestas clavium, *proprie* loquendo, non se extendit supra culpam". Praecitata verba sunt aliquatenus difficilia intellectu. Sed si accommodentur verba illa terminologiae *communi,* tunc apparebit S. Bonaventuram non sustinere sententiam de *ostensione,* licet S. Doctor terminologiam communem non adhibeat, sed adhibeat terminologiam sibi propriam.

Communiter dicitur: Deus absolvit auctoritate propria et ex se. *S. Bonaventura* dicit: Deus absolvit "per modum activi et impertientis ex se".—*Communiter* dicitur: Homo absolvit auctoritate communicata, auctoritate data, ministerio seu auctoritate ministeriali, non a se, vel ex se. *S. Bonaventura* dicit: Homo absolvit "per modum deprecantis et impetrantis".—Praeterea, notandum est S. Bonaventuram distinguere inter hominem justificatum (per contritionem perfectam) et hominem attritum. Si homo justificatus est, tenetur accedere ad confessionem, quia

[53] In IV Sent. Comment., tom. III, pag. 236, edit. 1680, Paris.
[54] Quaracchi, tom. IV, pag. 473.

"justificationi necessarium est propositum confitendi" et quia "confessio instituta est *sub praecepto*" (Quaracchi, tom. IV, pag. 432), et etiam bonum est, ut accedat ad confessionem homo ille "ad erubescentiam . . . ad humiliationem et gratiae augmentum", necnon ad majorem certitudinem (Ibid. pag. 450). A fortiori tenetur accedere ad confessionem homo simpliciter attritus.

Itaque, secundum S. Bonaventurae mentem, ad quaestionem hanc: *Utrum sacerdos culpam delere possit,* sic responderi potest: Dist.: "ex se", neg.; quia hoc facere non potest nisi Deus; per modum deprecantis et impetrantis, seu auctoritate a Deo *data,* subd.: Si homo "justificatus" sit per contritionem, neg.; "quia culpa jam deleta est" (Quaracchi, tom. IV, pag. 431); et in casu sacerdos *"ostendit"* hominem illum esse absolutum eique gratiam augmentat (Ibid., pag. 450); si autem homo sit tantum *attritus,* nam "possibile est, quod aliquis ad absolutionem accedat attritus" (Quaracchi, tom. IV, pag. 473), conc., quia confessio sacramentalis "valet *ad deletionem culpae* quantum ad eos qui se non praeparaverunt sufficienter omnino" (Ibid., pag. 432).

Itaque S. Bonaventura docet sententiam *de ostensione.* Sed eam non docet simpliciter et absolute, sicut asserit *Estius* (loc. cit.), et sicut videntur asserere Pohle-Preus[55] et Pesch[56]. Sententiam de ostensione docet *Seraphicus* tantummodo, quando agitur de homine contrito contritione perfecta. Illi ergo textus qui opponuntur et in quibus apparet S. Bonaventura tamquam sustinens absolute sententiam de ostensione, explicari possunt adducta distinctione de auctoritate propria et de auctoritate delegata, vel etiam adducta distinctione de homine perfecte contrito et de homine simpliciter attrito.

Crisis.—Opinio sustinens ostensionem in omnibus casibus, cujuscumque sit, rejicienda est; quia conformis non est verbis Domini nostri Jesu Christi qui contulit Apostolis eorumque successoribus, potestatem culpamque ipsam delendi. Absolvamusque negotium hoc verbis *Richardi a S. Victore* (cfr. N. B., pag. 80 desumptis ex suo "Tractatu de potestate ligandi et solvendi", quaeque sic sonant: "Exstat quorumdam de potestate

[55] The Sacram., vol. III, pag. 147.
[56] Prael. Dogm., De Sacram., part. II, pag. 88.

ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius quam refellenda. Putant enim et praedicant sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos vel ligatos. Sed numquid Dominus dicit: Quodcumque ligatum *ostenderis* erit ligatum, et quodcumque solutum *ostenderis* erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata dimittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat: Quorum remiseritis, inquit, peccata, non quorum ostenderitis, remittuntur eis"[57].

Haec praeterea sententia numquam praevaluit. Pauci tantum eam sustinuerunt, iique obruti sunt auctoritate Angelici Doctoris necnon Subtilis Doctoris, qui cum suis scholis antiquam de vera peccati remissione sustinuerunt doctrinam contra paucos illos qui eam obnubilabant.

II.

Intimius discutitur opinio de ostensione, et de remissione poenae.

Operae pretium est investigare de quanam praecise agebatur questione inter Scholasticos, quando nonnulli negabant potestatem clavium peccatum dimittere vel solvere posse, et affirmabant hujusmodi potestatem tantummodo ostendere remissionem vel solutionem peccati. Hoc nosse valde necessarium est, ut percipiatur discrimen Scholasticos illos inter et Reformatores, de quibus in § sequenti.

Inter Scholasticos quaestio circa potestatem clavium, specialiter quando agitur de remissione *culpae,* spectari potest tamquam *corollarium* quaestionis de *dispositionibus subjecti:* Debetne poenitens *ante* confessionem facere actum contritionis seu actum doloris *caritate* perfecti, an sufficit quilibet dolor, quaelibet peccati detestatio, dummodo actus ille sit supernaturalis? Major Scholasticorum pars, specialiter post S. Thomam et Ven. Scotum, exigebat quamlibet detestationem, supernaturalem quidem, sed non caritate informatam. Illi pauci Scholastici, Richardus a S. Victore, Petrus Lombardus, aliique, exigebant caritatem stricte dictam; ideoque, cum peccata jam deleta essent per caritatem, logica necessitate compulsi, venerunt ad hanc conclusio-

[57] M. P. L., 196, 1168.

nem: Potestas clavium non remittit peccatum, quia non adest; sed tantummodo remittit poenam peccato debitam et ostendit in facie Ecclesiae peccatum fuisse deletum. Idcirco non errarunt Scholastici illi circa ipsam potestatem, sed tantummodo circa *dispositiones* in subjecto requisitas.

Audiamus statum quaestionis ab ipsis antiquis: "Solet quaeri, —ait *Hugo a S. Victore*[58],—utrum solvatur homo a peccato, *ut primum* habet veram cordis contritionem. Quod videtur illa auctoritas velle. Dixi: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* (Ps. 31). Item: *Peccator quacumque hora ingenuerit, salvus erit* (Ezech. 18). Sed si per contritionem cordis solutus est a peccato, in confessione oris non solvitur; ad quid ergo confessio oris est utilis, si *ante* confessionem oris solutus est a peccato? Sed si per contritionem cordis solutus est a peccato: "a quo solvit eum sacerdos?" Deinde Hugo exponit sententiam de ostensione, adducit rationes illam sententiam sustinentium et tandem rejicit sententiam illam.

Similiter arguit *Petrus Lombardus:* "Hic quaeri solet, si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo poenitens votum habuit confitendi, quid postea dimittitur ei a sacerdote. Video enim, quo vinculo eum ligat, sc., temporalis poenae, sed non, a quo eum absolvat; et ideo quaero: Ante poenitudinem quippe cordis anima rei maculam habet et foetorem peccati, atque aeternae ultionis vinculo ligata existit; si vero ante confessionem, per cordis contritionem Deus per se ipsum, sine ministerio sacerdotis, et debitum omnino relaxat et animam interius purgat a contagio et foetore peccati, quid ergo mundat, quid absolvit sacerdos? Ubi sunt claves illae, quas Dominus tradidit Petro et successoribus ejus dicens: *Tibi dabo . . .?*"[59]. Deinde varias adducit sententias, *et simul protestatur* neque se neque sustinentes alias sententias *negare* potestatem peccata remittendi sacerdotibus concessam fuisse. Vide, v. g., cap. V ejusd. dist., ubi aperte dicit: "Nec ideo tamen negamus, sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et retinendi peccata, cum hoc Veritas in Evangelio aperte doceat"[60].

---

[58] M. P. L., 176, 147.
[59] Sent. IV, d. 18, c. 1, in edit. Quaracchi, pag. 857.
[60] Ibid., pag. 861.

Ut videtur ergo non agitur proprie de ipsa potestate clavium, sed potius de *dispositione,* juxta illos Scholasticos, ad confessionem requisita, et de *reconciliatione* remissionis cum subjecti dispositione. Cum ex falso principio processerint pauci illi Scholastici, sc., caritatem exigendo tamquam dispositionem necessariam pro confessione, ideo ad falsam conclusionem devenerunt, sc., ad sententiam de sola ostensione remissionis peccati et ad sententiam de remissione poenae.

In hac quaestione de dispositione subjecti *S. Bonaventura* carpitur a Pohle-Preuss et a Pesch, 1. c. Sed injuste; quia S. Bonaventura non exigit caritatem *tamquam conditionem necessariam* ad confessionem. Hoc clare patet ex discussione ac solutione hujus quaestionis quam S. Bonaventura instituit[61]: "An quis quoad modum obligetur confiteri ex caritate". Adducit prius rationes exigentes caritatem, quas postea aut repellit omnino aut ita explicat ut appareat caritatem non requiri necessario. Ideoque non est S. Dr. pro hac parte. Deinde adducit rationes non exigentes caritatem, et eas relinquit intactas. Ergo S. Bonaventura hoc agendi modo videtur inclinatus saltem ad negativam partem. Et hanc negativam partem amplectitur S. Dr. in conclusione: "Concedo,—ait,—quod *non est necessarium, nec obligatur quis confiteri ex caritate,* sed tenetur confiteri vel ex caritate, vel ex dispositione ad caritatem sufficiente, vel secundum probabilitatem, vel secundum veritatem". Aliis verbis, si poenitens habeat caritatem, optime; si non habeat caritatem, requiritur ut aliquo modo "se disponat ad gratiam *per omnium peccatorum detestationem.* Quodsi se non disponit, immo *cum voluntate peccandi* accedit; dico, quod peccat mortaliter, quia Sacramentum irritum facit, quantum in se est, et hoc non est sine contemptu; unde tenetur iterum reverti ad sacerdotem et petere absolutionem". Juxta S. Bonaventuram ergo non requiritur caritas tamquam conditio necessaria ad confessionem; sufficit detestatio peccati et voluntas non peccandi de cetero. Non adest ergo ratio, cur praefati auctores impugnent S. Bonaventuram, cum S. Dr. exigat conditiones, quae ab omnibus exiguntur.

Sed objiciunt auctores citati: S. Bonaventura exigit eamdem dispositionem pro confessione ac pro Sma. Eucharistia recipienda.

---

[61] Quaracchi, tom. IV, pag. 446 ss

Resp.: *Nego,* S. Bonaventura non exigit *eamdem* dispositionem. S. Bonaventura instituit comparationem inter Smam. Eucharistiam et confessionem, quoad *necessitatem* dispositionis, non autem quoad *qualitatem* dispositionis. Qui vult accedere ad confessionem se disponere debet sicut se disponere debet qui vult accedere ad Smam. Eucharistiam. Sed numquid *eamdem* dispositionem habere debet qui confitetur ac ille qui sacram Synaxim recipit? Negative. Nam poenitentia est sacramentum *acquirendi* gratiam; Eucharistia est sacramentum promovendi et *augmentandi* gratiam. Ideoque non requiritur eadem dispositio. "Respondeo:—ait S. Bonaventura,—Ad horum intelligentiam notandum est, quod quaedam sunt sacramenta ordinata ad gratiam *acquirendam* et obtinendam, ut baptismus et *poenitentia;* quaedam ordinata sunt ad gratiam prompvendam sive *augmentandam,* ut confirmatio et *eucharistia.* Dico ergo, quod sicut sacramenta augmentantia gratiam non habent efficaciam nisi in habentibus caritatem; sic Sacramenta gratiam impetrantia non habent efficaciam nisi in eis qui se disponunt"[62], id est, pro sacramentis vivorum requiritur gratia et caritas, pro sacramentis mortuorum requiritur ut homo se disponat ad gratiam et caritatem. Ideoque quae S. Dr. dicit de Sma. Eucharistia et poenitentia referenda sunt ad necessitatem dispositionis, non autem ad qualitatem aut quantitatem dispositionis.

Scholion I.—(A) Occasione disputationis de poenitentis dispositionibus exorta est illa divisio inter Scholasticos de *contritionistis* et *attritionistis.* Hi contritionistae et attritionistae confundendi non sunt cum contritionistis et attritionistis *posterioribus* Concilio Tridentino. Scholastici contritionistae exigebant caritatem *stricte* dictam, seu contritionem perfectam ad sacramentum poenitentiae recipiendum; attritionistae vero exigebant attritionem tantum.—Contritionistae autem posteriores Conc. Tridentino exigunt *in attritione aliqualem dilectionem;* dum attritionistae (posteriores Conc. Tridentino) tenent sufficere ad valide recipiendum poenitentiae sacramentum attritionem *ex metu inferni* conceptam, sine illa aliquali dilectione.

Sententia contritionistarum Scholasticorum *amplius sustineri nequit* propter varias posteriores hac de re declarationes Ecclesiae. Attamen Scholastici illi damnari nequeunt, cum decisiones

[62] Quaracchi, ibid.

sint posteriores. Sententia contritionistarum posteriorum Conc. Tridentino damnari nequit propter decretum ab Alexandro VII die 5 Maji a. 1667 editum, ubi prohibet ne sustinentes unam opinionem alteram taxent opinionem alicujus censurae theologicae alteriusve injuriae aut contumeliae nota. Hae ergo sententia libera manet.

(B) Acquiescendum non est (mihi videtur) *Estio*[68] dicenti Scholasticos contritionistas damnatos fuisse, dum damnati fuerunt protestantes. Nam magna est differentia inter Scholasticos illos et protestantes. Scholastici illi exigebant caritatem (et in hoc errarunt); sed exigebant *votum* seu propositum ad claves recurrendi; protestantes hoc votum rejiciunt, et propter hoc damnati sunt.—Protestantes damnantur, quia poenitentiam non agnoscunt ut sacramentum; Scholastici illi admittunt Poenitentiae sacramentum.—Scholastici admittunt confessionem jure divino necessariam esse; hoc rejiciunt protestantes.—Protestantes rejiciunt clavium potestatem; Scholastici illi eam admittunt, et quidem admittunt illam potestatem practicam esse atque efficacem.—Tandem protestantes damnati sunt, nam contumaces fuerunt; contra Scholasticos illos nullum editum fuit decretum. Ergo non adeo facile admittendum est dictum Estii.

Scholion II.—Aliquis quaerere potest: quare ad claves recurrere teneor, etiam quando actum contritionis caritate perfectae peregi? Teneris ratione: a) *voti* confitendi; b) *satisfactionis* Deo exhibendae; c) *ordinis* et disciplinae, quia absolutus es via quasi extraordinaria; d) *securitatis*. Pro evolutione praecedentium cfr. *Hurter,* Theol. Special., P. altera Oeniponte, a. 1883, pag. 388 et s., ubi etiam explicat cl. auctor quomodo absolutio efficax sit et utilis etiam in casu perfectae contritionis, sc., quia peccata remittuntur *novo titulo,* gratiaque augmentatur.

§ 4. *Pseudo-reformatorum error.*

Pseudo-reformatores tenent peccata operiri per fidem fiducialem in meritis Domini nostri Jesu Christi, et sacerdotis absolutionem seu clavium potestatem *nude* annunciare seu *declarare* remissionem peccatorum, seu potius, co-operationem illam peractam fuisse. Sed contra,

---

[68] Comm. in Sent., lib. IV, d. 17, n. 1.

Clavium potestas est potestas vere remissiva peccati.

I.—Prob.: (a) Ex *ipsissimo textu* collationis; si remiseritis peccata, remittuntur; si retinueritis peccata, retinentur. Quid clarius? Sufficit ergo legere textum ad cognoscendum ibi agi de vera remissione peccatorum, et non de declaratione aut annunciatione remissionis tantum. Ideoque repetenda sunt Richardi a S. Victore verba supra relata: Numquid Dominus dicit: quodcumque ligatum *ostenderis,* erit ligatum; et quodcumque solutum *ostenderis,* erit solutum? Quare dicitur apostolicos viros peccata remittendi et retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat? Quo jure affirmatur apostolicos viros *tantummodo* habere potestatem *ostendendi,* cum Dominus hoc non dicat?

Habes itaque, lector, duas partes sibi invicem opponentes: protestantica pars negat clavium potestatem *vere* remissivam esse peccati; ex altera parte Dominus affirmat. Cui velis, credas. Sorte tamen inaequali, credes, vitae vel interitus. Vitae, si Christo credas; interitus, si protestantibus credas.

(b) Juxta omnes, tam catholicos quam adversarios, verba "Remittuntur" et "Retenta sunt" significant veram et propriam remissionem ac retentionem; ergo, vi parallelismi, eamdem significationem habent verba "Remiseritis" et "Retinueritis". Ratio est, quia Dominus nullam additionem vel animadversionem fecit ex quibus deduci posset ultima citata verba alio intelligenda esse modo quam priora. Cum ergo Dominus nullam ulteriorem declarationem fecerit, clare deducitur Dominum voluisse per verba "Remiseritis" et "Retinueritis" Apostolis conferre potestatem vere remissivam, et non tantum declarativam vel ostensivam.

(c) Ulterius, si sacerdos non absolvit, sed tantummodo declarat peccatorem absolutum esse, tunc peccatoris absolutio *praecederet* actionem sacerdotis. "Atqui verba Christi clare significant sacerdotis actionem esse *priorem* ipsa remissione pecatorum, *Quaecumque,* inquit, *solveritis super terram, erunt soluta et in caelis.* Item: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* cum alioqui potius dicendum fuisset: Solvetis et retinebitis in terra, quae jam *ante* soluta sunt et remissa in caelis. Qui modus loquendi prorsus alienus est a mente omnium Pa-

trum"[64], et manifestam violentiam infert sacro textui; ergo sacer textus intelligi nequit de declaratione tantum, sed intelligi debet de vera remissione.

Accedit quod Dominus ita loquitur ut clare pateat peccatoris purgationem *effectum* esse actionis sacerdotalis: si remittitis, remittitur; ergo prior est actio sacerdotis, posterior peccatoris purgatio, sicut prior est causa, posterior est effectus.

II.—Idem constat ex *contextu.*—(a) Apostoli agunt, quando remittunt peccata, in virtute Spiritus Sancti. Sed Spiritus Sancti proprium est non tantum declarare remissionem concessam fuisse, sed ipsam remissionem efficere seu ipsius est remittere aut retinere. Ergo Apostoli etiam non tantum declarant seu ostendunt remissionem, sed ipsam remissionem operantur.

(b) Praeterea, Apostoli habent eamdem missionem ac Dominus noster Jesus Christus; sed missio Domini nostri Jesu Christi non fuit tantum ostendere vel declarare remissionem vel retentionem peractam fuisse, sed fuit remittere vel retinere; ergo remittere vel retinere fuit Apostolorum missio, non tantum nude declarare.

Major evidens est ex verbis Domini: "Sicut me misit Pater, et ego mitto vos". Notandum tamen est quod adest aliqua differentia inter Christi missionem et missionem Apostolorum. Christus enim, ut *Deus,* remittit peccata auctoritate *propria,* et, ut *Homo,* cum habeat potestatem *excellentiae,* peccata dimittit, tamquam potestatem habens ministerii *principalis;* Apostoli autem dimittunt potestate ministeriali *secundaria.* "Veruntamen sicut ad effectum baptismi nihil intererat, utrum Christus per se, an vero per apostolos baptizaret; quia semper verum erat illud: *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto;* et sicut non minus mandabatur a lepra, quem apostolus accepta a Christo potestate, mundum esse juberet, quam quem per se ipsum Christus mundaret, et ita in ceteris miraculis; quia nimirum per apostolos Christus operabatur ad eumdem prorsus modum, non minus consequebatur remissionem peccatorum is cui apostolus mandato Christi, quam cui Christus per se diceret: *Remittuntur tibi peccata tua,* vel, *Ego te absolvo a peccatis tuis,* Christo videlicet hoc idem

[64] Cfr. Guillermus Estius, in Quatuor Lib. Sent. Comm., tom. III, pag. 237 ss., Paris, 1680.

agente per apostolum tamquam vicarium suum, quod in evangelio legitur fecisse per se"[65].

Minor probatur, sc., Dominum nostrum remisisse peccata. Quando Dominus erat apud pharisaeum illum, qui ipsum invitaverat, "ut manducaret cum illo", quaedam "mulier, quae erat in civitate peccatrix", ingressa est domum pharisaei, "et stans retro secus pedes Domini, lacrymis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat". Haec omnia Simoni pharisaeo non placuerunt, coepitque murmurare. Sed Domino placuerunt, et Ipse mulierem defendit atque dixit "ad illam: *Remittuntur tibi peccata.* Et coeperunt, qui simul discumbebant, dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit?"[66]. Ergo Dominus mulierem absolvit, et non tantum eam absolutam declaravit.

Sed forsitam quis dicat: Dominus non absolvit, quia non loquitur nomine proprio, sed modo impersonali: "Remittuntur tibi peccata".

Resp.—Haec objectio per illud solvitur quod discumbentes dixerunt: "Quia est *hic* qui etiam peccata dimittit?" Ergo intellexerunt Dominum egisse nomine proprio.

Eadem *minor* probatur per miraculum in paralytico patratum a Domino. Dominus enim "dixit paralytico: Confide, fili, *remittuntur peccata tua*". Et quia hoc dixit Dominus, "quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, et ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet *potestatem* in terra *dimittendi peccata,* tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam"[67]. Ergo Dominus non tantum declaravit remissionem, sed eamdem peregit.

III.—Quod clavium potestas non tantum declarativa, verum etiam remissiva sit, clare confirmatur ex fide non solum Ecclesiae Romanae, sed etiam ex fide Ecclesiae Graecae, immo ex concessione ipsorum antiquorum haereticorum. In mentem recolatur, v. g., controversia Catholicorum cum Montanistis et Novatianis jam saeculo II. Verba concessionis clavium potestatis adeo clara sunt, ut ab ipsis haereticis negari non potuerit hujus-

---

[65] Estius, 1. c., pag. 236 s. [66] Lc. 4. 36-50. [67] Mt. 9. 1-8.

modi potestatem fuisse concessam. Ideo haeretici nihil aliud fecerunt nisi velle *restringere* potestatem illam; consequenter, persuasi erant de vera remissione, nec cogitabant de simplici annunciatione. Aliud fecerunt, sc., velle auferre a catholicis illam potestatem atque transferre ad haereticos, sed non negarunt *naturam* remissivam clavium. Hoc utique libentissime fecissent, si aliquod, vel leve, vestigium invenire potuissent.

Saeculo XII apparet *Abaelardus,* et negat hujusmodi potestatem concessam fuisse aliis quam Apostolis, sed non negat clavium potestatem vere remissivam esse; quia hoc clare videt in verbis Domini.

Ideoque cum tota antiquitas sibi persuasa sit de natura remissiva clavium, et cum verba concessionis, obvio sensu sumpta, eamdem veritatem doceant, jure meritoque rejicitur protestantica sententia de simplici et nuda declaratione remissionis. Accedit quod Lutherus et Calvinus primique eorumdem sequaces, cum catholici fuerint, crediderunt et admiserunt clavium potestatem sensu catholico sumptam; sed postea gratiae infideles, fidem rejecerunt, apostatasque se fecerunt. Jamvero, cui credendum est, illi qui fideliter depositum revelationis et antiquitatis servat, an apostatae? Sine dubio, fideli credendum est, ut recta ratio dictat. Credamus ergo Ecclesiae Catholicae, quae Christi doctrinam de vere remissiva potestate conservat et anathemate munit: "S. q. d., absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitendi, modo tantum credat se esse absolutum . . . A. S."[68]

ARTICULUS V.

Clavium potestas est potestas universalis.

Baptismum inter et poenitentiam differentia visa, necnon examinata clavium potestatis qualitate remissiva, nunc consideranda est alia ejusdem potestatis qualitas, sc., ejus *universalitas.*

Universalitas illa esse potest: a) quoad ministrum, b) quoad subjectum, c) quoad tempus, d) quoad materiam removendam. Aliis verbis, inquiri potest, utrum clavium potestas exerceri possit a quocumque, etiam a femina, etiam ab infante, sicut tenuerunt nonnulli antiqui protestantes; utrum dispensari possit

[68] Conc. Trid., sess. 14, can. 9; vide ibid. cap. 6.

cuicumque, etiam infidelibus, infantibus; utrum clavium potestas concessa fuerit tantum Apostolis, an exerceri possit quocumque tempore ad usque sc., mundi consummationem; utrum tandem per clavium potestatem deleri possit quodcumque peccatum, nulla prorsus exceptione facta.

In praesentiarum, nobis consideranda est clavium potestatis universalitas quoad *materiam* removendam. Quaestio enim de universalitate quoad *tempus* examinata fuit in art. I hujus capituli, ubi discussa fuit clavium permanentia in Ecclesia Catholica. Universalitas autem quoad ministrum et universalitas quoad subjectum proprie non pertinent ad meum propositum, quod est disserere de ipsa clavium potestate; ideoque illae universalitates mihi relinquendae sunt. Remanet ergo universalitas quoad *materiam* removendam; et, juxta catholicam doctrinam, tenendum est sequens dictum:

Nullum est peccatum quod per clavium potestatem deleri non possit.

N. B.—Antequam incipiamus supra dictae propositionis probationem, non supervacaneum est notare nos hac in dissertatione clavium potestatem considerare *in se,* non autem in hoc vel in illo ministro. Clavium universalitas proinde spectanda est *in se,* idest, clavium potestas, quantum in se est, delere potest *quodcumque* peccatum; licet hic vel ille *minister* aliquando non habeat jurisdictionem seu facultatem ad absolvendum ab hoc vel illo peccato. Ideoque Summus Pontifex, v. g., quin laedat universalitatem clavium, potest denegare huic vel illi ministro jurisdictionem ad absolvendum, vel potest etiam concessam jurisdictionem restringere.

Prob. (A) *Scriptura.*—Christus Dominus quando clavium potestatem contulit nullam limitationem aut exceptionem fecit; ergo potestas illa est universalis, sive omne peccatum per clavium potestatem deleri potest.

Prob. *antecedens* Domini verbis ad Apostolos: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt". Nullum ergo peccatum excludit Dominus, et consequenter potestas remissiva universalis est.

(B) *Traditione.*—Primis Ecclesiae temporibus, i. e., saec. I et initio saec. II, quaestio de universalitate clavium tacta non fuit.

Tantummodo inveniuntur vestigia ex quibus deducitur omnia peccata, etiam gravissima, per poenitentiam deleta fuisse, aut saltem deducitur illis temporibus firmam persuasionem et fidem adfuisse de possibilitate omnia peccata delendi.

Ita, a) juxta omnes Patres modernosque commentatores, exceptis nonnullis rationalistis, *S. Paulus,* apostolica clementia motus, *incestuosum* corinthium absolvit[69].

b) Eadem fides firmatur facto quod narrat *Clemens Alexandrinus* de *S. Joanne Apostolo*[70]. Dilectus Discipulus converterat juvenem quemdam, qui, post baptismum, viam perditionis ingressus est, et "insignis latro erat, violentia, caedibus, atrocitate excellens". Hoc non obstante, Apostolus Joannes multum adlaborat pro latronis conversione, ac tandem obtinet ut hic ad bonam frugem redeat.

Hoc autem factum aut certum est aut non. Si certum est; ergo revera clavium potestas omnia delet peccata. Si certum non est, fateri saltem debemus primaevos christianos admisisse possibilitatem omnia peccata delendi per clavium potestatem; secus enim non invexissent hujusmodi narrationem.

Obj.—In casibus de Paulo et Joanne Apostolis non agitur de *omnibus* peccatis.

Resp.—In casibus de Paulo et Joanne Apostolis revera sermo non est de omnibus peccatis. Sed cum agatur de *gravissimis* peccatis, cujusmodi sunt incestus et homicidium, facile deduci potest Apostolos veniam concesisse levioribus peccatis, cum veniam non denegaverint gravioribus.

c) *S. Polycarpus,* S. Joannis discipulus, presbyteros hortatur ut sint misericordes erga lapsos, et quidem erga cunctos; ergo ipsi cura non erat de gravitate lapsus, dummodo persona lapsa velit corrigere malum quod commisit: "Presbyteri sint ad miserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes . . . non severi nimis in judicio, scientes nos omnes debitores esse peccati"[71].

d) *S. Clemens Romanus*, Papa, corinthios rebelles contra ecclesiasticos superiores hortatur ut resipiscant[72]; et hoc, non obstante quod agitur de seditione, quam S. Pontifex vocat "impiam et detestandam" (cap. I), qua contigit "ut honorificum et illustre

[69] Cfr. 1 Cor. 5, 4 et 2 Cor. 2, 5.
[70] M. P. G., 9, 647.
[71] Rouet, n. 73.
[72] 1 Cor.

nomen (corinthiorum) vehementer blasphemaretur". Occasione hujus ingentis criminis, S. Pontifex rebelles non repellit, sed dulciter impellit ut auferant "celeriter" crimen commissum (cap. 48), cum antea (cap. 44) eos poenitentiam docuerit, dicens: "*Quaesumque* deliquimus et fecimus . . . eorum remissionem imploremus . . . Melius est homini peccata sua confiteri, quam indurare cor suum". "Vos igitur,—concludit, cap. 57,—qui seditionis fundamenta jecistis, in obedientia subditi estote presbyteris, et correctionem suscipite in poenitentiam". Nullum ergo peccatum S. Pontifex tamquam irremissibile consideravit.

e) Pariter nullam cognovit restrictionem auctor operis cui titulus *Didache,* cum simpliciter dicat: "Confiteberis peccata tua"[73]. "Frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis"[74].

f) Etiam auctor *Epistolae* sic dictae *Barnabae* nullam facit distinctionem, et repetit verba Didache: "Confiteberis peccata tua"[75].

g) Similiter *S. Ignatius,* Martyr, dicit Dei esse "quotquot poenitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiae"[76]. Nullus ergo peccator, quantumvis ingens, excipitur.

h) *S. Irenaeus* refert nonnullas a Marco haeretico seductas mulieres, in Ecclesiam iterum receptas fuisse, exomologesi seu confessione facta[77].—Idem Sanctus refert Cerdonem haereticum saepius in Ecclesiam receptum fuisse, a qua tandem defecit omnino[78].—Praeterea, S. Irenaeus sine ulla distinctione omnibus lapsis, sed poenitentiam agentibus, veniam promittit[79]. Ergo S. Doctor minime putavit ullum esse peccatum quod deleri non posset per exomologesim, seu per clavium potestatem.

i) Vetustissimae Ecclesiae sensum, quoad universalitatem remissionis, paucis comprehendit *Dionysius,* Corinthiorum episcopus, in sua epistola ad ecclesiam mastriacam ceterasque ecclesias Ponti, ubi episcopis regionis illius "cunctos, qui a *quovis lapsu sive delicto,* sive etiam ab *haeretica pravitate* resiliunt, benigne suscipi jubet", sicut refert Eusebius[80]. Nullum ergo peccatum excipitur.

[73] Rouet, n. 3.
[74] Ibid. n. 8.
[75] Ibid. n. 37.
[76] Ibid., n. 66.
[77] M. P. G., 7, 591.
[78] Ibid., 856.
[79] Ibid. 551 et 1112.
[80] M. P. G. L., 20, 386.

j) Similiter *Hermas* in suo opere cui titulus *Pastor* conatur omnes peccatores, quicumque sint, ad poenitentiam reducere remissionis spe, atque reprehendit eos, qui, servos Dei qui peccaverunt, poenitentiam agere non sinebant (Similitudine VIII). Propterea, *Tertullianus,* jam montanista, Herman odio habet, eumque vocat "apocryphum pastorem maechorum", cujus "scriptura sola maechos amat". (De Pudicitia, cap. 10 et cap. 20).

Sed quaestio de universalitate clavium non amplius vago modo exposita est, sed clarissimo modo, quando haeresis novatiana, montanista et tertullianista in medium prodiit clavium potestatem restringere volens.

Novatiani, montanistae atque tertullianistae, zelo non secundum scientiam ducti, putarunt Ecclesiam absolvere non posse a criminibus gravibus adulterii, idololatriae atque homicidii, sed dicebant solummodo Deum ea condonare posse. Hinc exorta est quaestio de universalitate clavium. Haeretici illi potestatem clavium restringebant; catholici autem nullam admittebant restrictionem.

Catholica sententia omnino tenenda est, quia conformis est sacrae Scripturae. Dominus enim nullam posuit restrictionem: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt". Et hoc argumento inniti catholici respuerunt haereticorum supra dictorum placitum et commentum. Videamus nonnulla facta et dicta.

1) Statim ac haeretici illi suam propalare doctrinam coeperunt, damnati sunt in *Synodo Romana* sub Cornelio Papa, damnati sunt ab omnibus episcopis italis, atque ab episcopis africanis, duce S. Cypriano. Ergo illo tempore catholici sibi persuasi erant de universalitate clavium.

Factum damnationis legas apud *Eusebium;* Migne, P. G. L., tom. 20, col. 615.

2) *Tertullianus* (De Pudicit., cap. 2), eloquentissimus omnium rigoristarum exaggeratorum illius temporis, dicit de se suisque commilitonibus quoad crimina: "Nos haec dividimus in duos exitus: alia erunt remissibilia, alia irremissibilia". Sed catholici jam ab initio disputationis hanc divisionem rejecerunt, sacra Scriptura nisi; ergo persuasi erant de universalitate clavium, seu de eo quod per clavium potestatem omnia peccata remitti poterat.

3) Sic *S. Pacianus,* episcopus barcinonensis, novatianos rejicit in sua epistola III ad Sempronianum: "Tractatus omnis novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Semproniane frater, hoc continet: Quod post baptismum poenitere non liceat, quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes . . . Quis hoc vindicat, frater, Moyses, an Paulus, an Christus? . . . Nullus horum, inquies. Quis ergo? Novatianus hoc praecepit . . . At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decii principatum, id est, *post trecentos prope annos* dominicae passionis . . . Ergo a Christi (adventu) usque ad Decii principatum *nullus intelligens?* Post Decium denique omnis episcopus impatiens; omnes alii dissoluti, qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerati"? (n. 1).

"Nescio, ais, (frater, Semproniane), an remitti pccatum ab episcopis possit . . . Cur igitur Novatianus tuus . . . haec suasit? Habes Cypriani testimonium, Cypriani quem nec vos unquam infamare potuistis. Nam quodam in loco ad Antonianum hoc modo scripsit: 'Additum est etiam Novatiano tunc scribente et quod scripserat, sua voce recitante, et Moyse, tunc confessore nunc jam martyre subscribente, ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur; quae litterae per totum mundum missae sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus perlatae sunt'. Quid ais, Semproniane frater? Novatianus haec scripsit, et ut obsequium merae voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera, testis quae scripsit, manus: testis lingua, quae legit" (n. 5).

"Sed poenitenti, inquies, (Semproniane frater), peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum.—Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum, et poenitentium lacrymas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini . . . Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam peccatoribus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit" (n. 7).

"Si poenitentibus remissio peccatorum dari potuit, ais, (Semproniane frater), *baptisma non fuit necessarium.*—Insultissima comparatio! Baptismus enim sacramentum est dominicae passio-

nis: poenitentium venia, meritum confitentis" (n. 8), i. e., baptismus et poenitentia suum effectum producunt ex opere operato, sed ex parte poenitentis plus requiritur ad remissionem obtinendam per absolutionem, quam per baptismum. Aliunde baptismus est pro infidelibus, poenitentiae sacramentum autem est pro christianis lapsis. Ideoque non recte arguebant novatiani.

"Videamus deinde quid dicas (Semproniane): 'Si Deus saepius jubet hominem poenitere, inquis, *saepius peccare permittit*'.—Quid ais? Ergo qui saepius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cum curat, assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, in saxa compellit. Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi . . . Quod si, ut ais, ad peccatum cogitur, cui poenitentiae medicina monstratur; quid tandem facturus est, cui poenitentia ipsa praecluditur; cui desperato remedio totum vulnus operitur; cui ex integro vitae aditus denegatur?" (n. 9).

S. Pacianus, quando pervenit ad exegesim verborum, "Quorum solveritis . . . " haec scripsit memoranda verba: "Quorum solveritis", inquit; omnino nihil excipit. "Quaecumque", inquit: "vel magna, vel modica" (n. 12).

Mihi displicet non posse totam illam epistolam III sanctissimi Praesulis exscribere. Sed praedicta sufficiant, tam ad evertendos rigoristas illos exaggeratos, quam ad catholicam doctrinam solide probandam et confirmandam.

4) *S. Ambrosius* fuit alter ex Patribus, qui multum adlaborarunt in impugnanda haeresi novatiana. S. Doctor pariter rejicit novatianorum distinctionem peccatorum in gravia et levia, id est, in irremissibilia et remissibilia: "Sed aiunt (Novatiani) se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus . . . Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit"[81]. "Evidentissime Domini praedicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti caelestis refundendam gratiam"[82].

[81] M. P. L., 16, 469.
[82] Ibid., col. 501.

5) *S. Cyprianus* omnes lapsos sine ulla exceptione, hortatur ad poenitentiam et confessionem: "Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio (facta) per sacerdotes apud Dominum grata est"[83]. Sed hanc hortationem numquam fecisset, si putasset clavium potestatem limitatam fuisse. Ergo.—In epistola 55, ad Antonianum, S. Martyr statuit a Domino "per sacerdotes ejus pacem posse concedi", atque post mortem exomologesim non esse, ideoque vult ut vere poenitentes in ecclesiam admittantur: "Quodsi invenimus,—inquit,—a poenitentia agenda *neminem* debere prohiberi et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi, *admittendus* est plangentium gemitus et poenitentiae fructus dolentibus non est negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis fieri potest, qui ex toto corde poenituerint et rogaverint, in ecclesiam *debent* interim suscipi et in Domino reservari". Juxta S. Cyprianum, recipi *debent* vere poenitentes. Sed non adesset hujusmodi obligatio, si Ecclesia non posset absolvere ab omni peccato. Praelati enim dicere possent: volumus, sed non possumus.

6) *Origenes* etiam nescivit ullam clavium restrictionem. Ait enim: "Utilem esse post quantacumque peccata poenitentiam sciemus, ut praeterquam quod plurimorum facinorum poenae non luemus, aliqua etiam spes pro bene deinde gestis supersit, etiamsi sexenta prius flagitia admissa sint"[84].—Docet *adulterium* per poenitentiam purgari posse; et quidem non semel, sed pluries: "Apud christianos si adulterium fuerit admissum, non est praeceptum, ut adulter vel adultera corporali interitu puniantur . . . Nunc non infertur poena corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per poenitentiam . . . Quod si aliquis, qui forte praeventus est in hujusmodi peccatis, admonitus nunc verbo Dei, ad auxilium confugiat poenitentiae, ut, semel, admisit, secundo non faciat aut, si secundo aut etiam tertio praeventus est, ultra non addat"[85].

Ex exscriptis ergo patet pro Origene non adfuisse peccatum aliquod irremissibile.

---

[83] De Lapsis, cap. 29. [84] M. P. 13, 1178. [85] Ibid. 12, 532.

Aliquam tamen creant difficultatem haec Origenis verba: "Nescio quomodo nonnulli sibi arrogantes ea, quae sacerdotalem dignitatem superant, fortasse neque callentes sacerdotalem scientiam, gloriantur, quasi possint etiam idololatriam condonare et adulterium et fornicationem dimittere, quasi preces pro iis, qui talia ausi sunt, luant etiam peccata ad mortem"[86]. Sed Origines non intendit denegare sacerdotem posse hujusmodi peccata remittere. Unice intendit retundere nonnullorum sacerdotum *nimiam facilitatem* in condonando delicta illa. Non enim exigere videbantur ii sacerdotes canonicam poenitentiam; et haec praxis Origeni non placuit, proindeque severe ac exaggerate locutus est. Alio tamen in loco (Migne, P. G. L., tom. 11, col. 987) statuit etiam libidinosos recipi posse, licet *tardius:* "Christiani ut perditos et Deo mortuos lugent eos, qui *libidine aut quovis alio crimine* dejecti sunt; eosdem vero quasi a mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, quae rationi convenit; *tardius tamen admittuntur* quam qui primo recipiuntur; et quia post mortem professam religionem lapsi sunt, ob omni posthac dignitate et praefectura in ecclesia arcentur". Non ergo "poenitus desperandum est. Possibile namque est, ut, si forte resipiscat, qui devoratus est, rursum possit evomi sicut Jonas"[87].

7) *Didascalia Apostolorum* commendat episcopo ut praedicet poenitentiam peccantibus, utque recipiat poenitentes, quicumque sint, dummodo vere poeniteat eos: "Uniuscujusque curam habeto episcopus, et eorum qui non peccaverunt, ut maneant, sicut sunt, sine peccatis; et eorum, qui peccaverunt, ut poenitentiam agant, iisque *remissionem peccatorum dato* . . . Tu ergo, episcope, doce et corrige et solve per remissionem, et cognosce locum tuum quasi locum Dei omnipotentis, et quod *accepisti potestatem remittendi;* nam vobis, episcopi, dictum est: *Quodcumque* ligaveritis . . . (cap. 18). "Via autem pacis est Salvator noster, qui et dicit nobis: Dimittite, et dimittetur vobis (Lc. 6, 37), hoc est, date remissionem, et recipietis . . . Si ergo non remiseris his, qui peccaverunt, quomodo recipies? Nonne e contra per os tuum te conligas, dicens remisisse, et non remisisti, sed interfecisti? Qui enim de ecclesia pellit eum, qui convertitur, interficit eum pessime et sanguinem ejus effundit sine misericordia . . . non attendens ad misericordiam Domini

[86] Ibid. 11, 527. [87] Ibid. 12, 355.

et reminiscens eam, quae super poenitentes est, bonitatem ejus, nec hac in re tamquam exemplar sumens eos, qui in multitudine peccatorum in poenitentia acceperunt remissionem a Deo" (cap. 21). Episcopi ergo potestatem habent remissionem conferendi peccatorum, et hanc exercere debent super *quaecumque* peccata, dummodo peccatorem vere poeniteat, nec timere debent in hoc faciendo, quia sic sibi proponunt tamquam *exemplar* Deum, qui omnibus, nemine excepto, benigne parcet.

8) *S. Augustinus,* hortatur fideles ne audiant eos, "qui negant Ecclesiam Dei *omnia* posse peccata dimittere" (Migne, P. L., tom. 40, col. 308). Et in sermone 352 (Migne, P. L., tom. 39, col. 1559), dicit quod talia dicentes "exclusi sunt ab Ecclesia, et haeretici facti sunt. In *quibuscumque* peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia".

9) Pro *S. Gelasio,* Papa, nullum datur peccatum irremissibile. "Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere vel poenitentibus relaxare, cui dicitur: *Quaecumque* dimiseritis super terram . . . In quibuscumque *omnia* sunt, quantacumque et qualiacumque sint" (Migne, P. L., tom. 59, col. 105).

10) *S. Joannes Chrysostomus* in universalitate clavium innixus "pronuntiare non dubitavit: Licet millies poenitentiam egeris (et relapsus fueris), accede" ad me, ut refert *Socrates* (Migne, 67, 726). Idem S. Doctor ab adversariis accusatur de eo "quod licentiam peccantibus praebeat sic docens: "Si iterum peccasti, poeniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo"[88].

11) Persuasus de eadem veritate papa *Caelestinus I* horret de impia praxi denegandi absolutionem moribundis in executionem mandata a nonnullis episcopis, et dicit: "Quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti"[89].

12) *S. Fulgentius,* colligens in unum dicta SS. Patrum atque praxim Ecclesiae, dicit: "Qui non credit intra Ecclesiam catholicam *cuncta* relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem denegat, si de hoc saeculo in eadem impoenitentis cordis duritia perseverans ab ecclesiastica societate discedat"[90].

[88] Ibid. 103, 111.

[89] Ibid. 50, 431.

[90] Lib. 1, De Remission. peccat., cap. 23.

Deo favente, haeresis illorum rigoristarum exaggeratorum mortua est, atque Concilia, Patres et scritores ecclesiastici subsequentes nonnisi repetunt universalitatem clavium Ecclesiae, quae iterum redidit ad pacificam possessionem suae veritatis. Sic in *Libris Poenitentialibus* sine ulla haesitatione determinatur poenitentia imponenda pro peccatis, quaecumque sint, a christianis commissis.—Papa *Joannes XIX,* a. 1024-33, in sua epistola 17 ad *Hugonem,* episcopum antissidorensem, ait: "Nullum in Ecclesia catholica majus potest esse nefas, quam existimare alicujus naevum criminis, praecipue poenitentis, quod non queat dissolvere concessa Petro a Domino clavis".

13) *Scholastici* de universalitate clavium agunt, dum disputant de obligatione confitendi; haec enim includit alteram, quia "confessio,—ut ait *S. Augustinus,*—est per quam latens morbus *spe veniae,* aperitur" (Cfr. S. Theol., divi Thomae, Suppl., q. 7, a. 1).

Sic *Alexander Halensis* tenet "quod *omne* genus peccati est confitendum, sicut praecipitur in Decretali; unde et peccata cordis, oris et operis"[91].—Et ibid., q. 4, disputat de peccatis *alienis,* et dicit "quod non debemus confiteri peccata aliena, nisi in casu, sc., quatenus sint circumstantiae *proprii* peccati; et tunc ita quod nullo modo fiat proditio alicujus (personae) criminis".—Quoad peccata *venialia* dicit quod "quamvis . . . de ratione sui generis non sit necesse confiteri illa, *utile* tamen est, quia poena illis debita minuitur ex vi clavium. Et etiam aliae sunt utilitates, sc., cautela contra lapsum in mortale et conservatio puritatis animae"[92]. Sed homo "tenetur ea (peccata venialia) confiteri, quando *dubium* est de aliquo (peccato), utrum sit veniale vel mortale" (Ibid.).

S. Bonaventura tenet quod "omnis agens poenitentiam super culpam, *quamvis gravissimam,* inveniat veniam a Deo"[93], et rigoristarum exaggeratorum sententiam vocat errorem, qui error "pessimus error est et crudelissimus . . . quia claudit viscera divinae misericordiae; et tunc omnes peccatores, vel fere omnes cogeret desperare"[94].—In suo *Breviloquio*[95], S. Doctor super-

[91] Sum. Theol., part. IV, q. 77, membro 2, a. 3.
[92] Ibid. a. 5.
[93] Quaracchi, tom. IV, pag. 334.
[94] Ibid. pag. 333.
[95] Quaracchi, a. 1896, pag. 320 s.

exaltat Christi Pontificis summam clamentiam; "et summa clamentia Pontificis superexcedit *omnia* peccata humana, *qualiacumque* et *quantacumque* et *quotiescumque* fuerint perpetrata: hinc est, quod peccantes suscipere ad veniam est ipsius Pontificis clementissimi, non semel nec bis, sed quotiescumque suppliciter imploraverint clementiam Dei. Et quod clementia divina tunc vere et suppliciter imploratur, quando intervenit poenitentiae lamentum; et ad hoc potest homo convertere se, *quandiu est in statu praesentis vitae*, quia vertibilis est in bonum et in malum; hinc est, quod *quantumcumque* et *quandocumque* et *quotiescumque* peccator peccaverit, et poenitentiae Sacramentum potest habere refugium, per quod sibi fiat remissio peccatorum". Nullum ergo excipit peccatum S. Doctor, nullumque praesentis vitae momentum.

Angelicus Doctor non tantum probat doctrinam catholicam de universalitate clavium, sed etiam obligationem *omnia* peccata confitendi pulcherrima et clara comparatione perlustrat ex arte medica desumpta. Ait enim, quando expendit quaestionem, "Utrum oporteat confessionem esse integram": "Respondeo dicendum, quod in medicina corporali oportet, quod medicus non unum solum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam *universaliter totam habitudinem ipsius infirmi,* eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina quae uni morbo competeret, alteri documentum praestaret; et similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius; et illud quod uni peccato esset conveniens, alteri incentivum praestaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali (part. 3, cap. 3) docet. Et ideo *de necessitate confessionis* est, quod homo *omnia* peccata confiteatur, quae in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio"[96].

Ven. Scotus eamdem tenet doctrinam ac praecedentes doctores in ejus scriptis, sc. Oxoniensi et Parisiensi, Sent. IV, dist. 17, ubi agit de confessione.

Conc. Lateranense IV, ad quod omnes Scholastici recurrunt quando de confessione disputant, statuit: "Si post susceptionem baptismi *quisque* lapsus fuerit in peccatum, per veram potest *semper* poenitentiam recuperari"[97]. Nullus excipitur peccator,

[96] Suppl., q. 9, a. 2 in c. [97] Denz.-Ban., n. 430.

nullumque peccatum.—In *Decr. pro Armenis* de sacramento Poenitentiae simpliciter dicitur: "Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis"[98].—*Conc. Tridentinum* nobis refert quod "Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes[99], magna ratione Ecclesia catholica tamquam haereticos explosit atque condemnavit"[100].—Et tandem in novissimo *Codice Juris Canonici* consecratur nostra constantissima doctrina de universalitate clavium hisce verbis: "In poenitentiae sacramento . . . remittuntur peccata post baptismum commissa" (Can. 870). Praeterea, reiteratur obligatio "omnia" peccata, nondum confessa, confitendi (Cfr. Can. 901).

Scholion I.—Hic quaerere liceat: quaenam peccata confiteri debeat homo? Cum *Codice Juris Canonici* (can. 901 et s.) qui, repraesentat simul et confirmat antiquam doctrinam, respondetur:

a) Homo confiteri *debet* omnia peccata mortalia, nondum accusata, et quorum meminit.—Praeterea, confiteri debet omnes circumstantias, quae mutant *speciem* peccatorum.

b) *Potest* homo, et utile valde est, confiteri peccata jam remissa, nec non peccata venialia.

Scholion II.—De praecipuis difficultatibus quae fieri solent contra universalitatem clavium.

I. *Difficultates ex S. Scriptura.*

(a) Christus dixit blasphemiam contra *Spiritum Sanctum* non remitti neque in hoc neque in futuro saeculo (Mt. 12, 31).

Resp.—Blasphemia illa, quae alia non est nisi pertinax negatio notae veritatis, aut, secundum alios, impoenitentia finalis, quamvis hoc non verisimile sit, quia Dominus contra pharisaeos arguebat, qui negabant clare pluriesque probatum characterem messianicum Domini, ut videre est in cap. 12 S. Matthaei, ex quo desumitur objectio; blasphemia illa, inquam, non remittitur, dist.: ex defectu potestatis vel voluntatis in Deo ejusve ministris, neg.; ex defectu sincerae poenitentiae in peccatore, conc. Sed hic defectus nil facit contra clavium universalitatem, ut patet; ergo.

---

[98] Ibid. n. 699.
[99] Quia immerito restringentes.
[100] Denz.-Ban., n. 894.

(b) Juxta S. Paulum, apostatas "impossibile est . . . rursus renovare ad poenitentiam" (Hebr. 6, 4.).

Resp.—I.—Impossibile est ut renoventur *per baptismum,* quia baptismus initerabilis est.

II.—Impossibile est ut renoventur *per poenitentiae sacramentum,* dist.: Impossibile est *metaphysice,* adeo ut apostatae illi converti et in meliorem frugem mutari nequeant, neg.; nam omnes theologi et philosophi sani tenent hominem, quamdiu est in hac praesenti vita, vertibilem esse et in bonum et in malum.—Impossibile est *moraliter* seu *valde difficile, conc.;* hoc tamen non est, quia Deus ejusque ministri nequeant vel nolint renovare per poenitentiam apostatas, sed quia hujusmodi apostatae *pertinaciter gratiae resistunt,* et ad veram poenitentiam redire nolunt. Haec ergo objectio pariter nil facit contra clavium potestatem.

(c) Juxta ipsum S. Paulum, "voluntarie peccantibus . . . post acceptam notitiam veritatis, *jam non relinquitur pro peccatis hostia,* terribilis autem quaedam expectatio judicii" (Hebr. 10, 26).

Resp.—Eis non relinquitur hostia, si pertinaces sint in apostasia, quia voluntarie sunt extra Ecclesiam catholicam, quam norunt esse veram, et quidem unice veram, ideoque voluntarie sunt extra viam salutis; si autem ad Ecclesiam redeant, certissime habent iterum hostiam, quia sunt iterum Ecclesiae membra viva, ideoque omnium bonorum ejus spiritualium participes sunt, sicut antea. Eorum ergo malum et infelicitas pendent ab eorumdum propria voluntate, non autem a defectu vel carentia clavium ex parte Ecclesiae.

(d) "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est *peccatum ad mortem,* non pro illo dico, ut roget quis" (I Joan. 5, 16).

Resp.—In primis statuendum est, quid intelligatur *per peccatum ad mortem,* nam adest aliqua disceptatio circa hoc punctum. Juxta quosdam, hujusmodi peccatum ad mortem est *impoenitentia finalis;* juxta alios, praesertim modernos, peccatum illud est peccatum *infidelitatis,* quo negatur Christi Domini nostri divinitas. Haec ultima sententia conformior sacro textui videtur, quia in toto cap. 5, S. Joannes de fide in Christum Dominum

loquitur. Qui ergo fidem rejicit in Christum bene notum, quantum humana fragilitas sinit, committit peccatum illud ad mortem.

Quidquid sit, peccatum illud ad mortem irremissibile non est ex defectu potestatis clavium, sed ex defectu seu carentia debitae dispositionis in peccatore, ratione ejusdem resistentiae contra divinam gratiam.—Praeterea, S. Joannes non dicit peccatum illud ad mortem irremissibile esse, sed tantummodo declaret in casu non obligare *praeceptum orandi* pro proximo, "Est peccatum ad mortem, *non* pro illo dico, ut *roget* quis", ait dilectus Discipulus, i. e., declarat peccatorem tale peccatum committentem *publicis* Ecclesiae suffragiis privatum esse (sicut hodie sunt excommunicati) propter peccati enormitatem. Sed haec privatio atque haec cessatio obligationis orandi perdurat tantummodo, usque dum peccator ille suam deponit pravam voluntatem, qua deposita, iterum peccator ille membrum vivum Ecclesiae incipit esse, ideoque iterum capax est beneficiorum Ecclesiae. Clavium ergo potestas intacta remanet. Quare nec haec objectio valet aliquid contra clavium universalitatem.

N. B.—Difficultates supra relatae sunt praecipuae difficultates ex divina Scriptura desumptae; atque solutiones datae sunt solutiones communiter a PP. et theologis propositae[101].

Ex hujusmodi solutionibus, hoc *principium regens* deduci potest: *peccatum hoc est irremissibile,* dicit aliquis. Respondeas: dist.: est irremissibile ex defectu *clavium,* quasi claves nil possint super peccatum illud, neg.; est irremissibile, i. e., remissu valde difficile, propter defectum *debitae dispositionis in peccatore,* quatenus, sc., pertinaciter gratiae resistit, conc.

II. *Difficultates ex SS. Patribus.*

Quoad difficultates ex SS. Patribus desumptas cum cl. *Pesch*[102] notes:

"a) Patres simpliciter repetunt verba Scripturae supra relata, quo in casu explicatio jam proposita est adhibenda.

b) Interdum historice tantum referunt quaedam peccata de facto non remitti, non propter defectum potestatis clavium, sed quia tales peccatores non sunt dispositi ad recipiendam absolutionem.

---

[101] Cfr. v. g., Hurter, Theol. Spec., tom. III, CCXLII; Pesch, Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 15; Tanquerey, De Poenit., n. 32.

[102] Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 22.

c) Non raro difficultatem magnam conversionis efferunt.

d) Saepe quoque dicunt peccatum aliquod esse irremissibile, quia propter enormitatem suam meretur non remitti."

Hisce animadversionibus addenda videtur haec alia: Saepe PP. loquuntur de poenitentia *publica* et *canonica,* quae nonnisi *semel* concedi solebat, ut fere uno ore PP. ipsi testantur. Sed haec poenitentia probe distinguenda est a poenitentia *privata* et *secreta,* quae concedebatur quotiescumque necessaria erat, ut jam docet *Origenes:* "In gravioribus . . . criminibus (pro quibus publica poenitentia statuta erat) semel tantum poenitentiae conceditur locus; ista vero communia, quae frequenter incurrimus, *semper* poenitentiam recipiunt et *sine intermissione* redimuntur"[103]. Et in homil., 2, in Ps. 37, 19; Migne, 12, 1336, Origenes hortatur peccatorem ut vadat ad confessarium peritum et misericordem, eique pandat secreto proprium peccatum, et paratus sit ad proprium languorem exponendum "in conventu totius ecclesiae", si sic faciendum putaverit confessarius. Ergo duplex erat confessio: altera secreta, altera publica; et confessio secreta frequentior erat quam publica. Quando quis ergo objiciat confessionem *semel* peractam fuisse in antiquitate, distinguendum est inter poenitentiam publicam et poenitentiam secretam; et sic solvetur difficultas.

ARTICULUS VI.

Clavium potestas est potestas judicialis.

Vidimus omne prorsus peccatum, nullo excepto, deleri posse per clavium potestatem. Nunc nobis inquirendum est *quomodo* exerceatur hujusmodi potestas. Quod non exerceatur modo gratioso, sed modo *judiciali* apparebit tum ex S. Scriptura tum ex S. Traditione.

(A) *Probatur ex S. Scriptura.* — (a)Dominus ait: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt". Apostoli ergo, juxta hanc dominicam concessionem, unum ex iis duobus facere potuerunt: a) *remittere* seu delere peccatum aut; b) *retinere,* seu absolvere nolle positive, i. e., non absolvere propter aliquod motivum. Sed hanc facultatem non potuerunt Apostoli, immo non debuerunt, exercere pro lubitu, quia non erant causa principalis remissionis, sed erant tantum-

[103] M. P. 12, 561.

modo ministri Christi (I Cor. 4, 1), proindeque eam exercere debebant prudenter, i. e., judicare debebant quando liganda sint peccata, quando vero solvenda. Ideoque prius instituere debebant causam, seu inquirere debebant numerum et gravitatem peccatorum, nec non dispositiones poenitentis, ad hoc ut postea justam ferre sententiam possent absolutionis vel retentionis; secus injustitiam commiterent, quia vel indignum admitterent vel dignum repellerent. Ergo Apostoli, si digne clavium potestatem exercere voluerunt, judicialiter procedere debuerunt, vi compulsi ipsius facultatis concessae.

(b) *S. Paulus* in damnatione incestuosi (I Cor. 5, 3 sq.) procedit judicialiter: *"judicavi"*,—ait Apostolus,—"eum qui sic operatus est". Et postquam vidit emendationem peccatoris illius, et non prius, eum restituit Ecclesiae unitati (II Cor. 5, sq.). Itaque non pro lubitu, sed judicialiter procedere debet qui clavium potestate gaudet, ideoque clavium potestas judicialis est.

(B) *Traditione.* — (a) *S. Polycarpus,* in sua epist. ad Philip., cap. 6, vult ut "presbyteri sint . . . *non severi nimis in judicio"*. Ergo, juxta S. Polycarpum, sacerdotes judices sunt. Sed sacerdotes, qua sacerdotes, aliud non exercent judicium, nisi judicium quod exercetur super peccatores per clavium potestatem; ergo clavium potestas est potestas judicialis.

(b) *Didascalia Apostolorum* ad episcopos aiunt: "Oportet... episcopi, secundum Scripturas vos *judicare peccatores"* (Lib. 2, cap. 15). Quando aliquis peccator ejectus est extra Ecclesiam, praecipitur ibid. episcopo admittere peccatorem, praevio tamen examine: "Tu, episcope, jube eum intrare, et *examine* facto, an poenitentiam agat ac dignus sit, qui in ecclesiam recipiatur, impone ei dies jejunii secundum delictum ejus" (Ibid. cap. 16). Procedit ergo juridice praesul in admittendis peccatoribus; ergo clavium potestas est judicialis.

(c) *Origenes* S. Pauli actionem contra incestuosum corinthium vocat "sententiam" (Migne, P. G. L. tom. 12, col. 1369). Ergo, juxta Origenem, S. Paulus processit juridice. Juridice pariter procedit episcopus quando agit de peccatis: "Nos,—ait Origenes,—episcopi *arguentis* iracundiam ferre non possumus, sed indignanter accipimus, illum furorem, qui Dei esse dicitur, arguentem nos quomodo tolerabimus"? (Ibid.)

(d) Idem probatur ex institutione *tribunalis poenitentialis.* "Inde a primis saeculis,—ait Pesch,[104]—in ecclesia exsistebat *tribunal poenitentiale* cum suis judicibus, testibus, legibus, poenis; et pro hoc instituto provocabant ad verba Domini Mt. 18, 18 et Jo. 20, 23. Ita *Tertull.* (Apolog. c. 39; M. 1, 468), *Const. apost.* (1. 2, c. 11 sq.; M. 1, 611), *S. Ambros.* (De Poen. 1, 1, c. 2. n. 7; M. 16, 468). *S. Hieron.* (Ep. 14, n. 8; M. 22, 352), *S. August.* (De civ. Dei 1. 20, c. 9; M. 41, 672), *S. Greg. M.* (Hom. 26 in evang. 1. 2, n. 9; M. 76, 1199). Cfr. *Frank,* Bussdiziplin 1. 2. Ergo vetus ecclesia intelligebat illis temporibus sibi traditam esse potestatem judicialem". In Cons. apost. 1. c., inter alia legitur: "In ecclesia sede (episcope) sermonem faciens, ut qui *potestatem habeas judicandi eos, qui peccaverunt.* Quoniam vobis episcopis dictum est: *Quodcumque ligaveritis* . . . . Judica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus".

(e) Eadem veritas confirmatur ex *controversia catholicorum cum montanistis.*—Catholici enim inquisitionem instituebant de peccatis eorumque gravitate, nec non de peccatoris dispositionibus, ad hoc ut majores vel minores imponeret satisfactiones. Montanistae vero eamdem inquisitionem faciebant ad concludendum utrum peccata commissa remissibilia aut irremissibilia essent. Ergo tam catholici quam montanistae persuasi erant de charactere judiciali clavium potestatis.

(f) *Conc. laodicenum,* cap. 2, statuit peccatoribus, qui "se a malis perfecte convertunt, tempore poenitentiae eis pro delicti proportione dato . . . offerre communionem". *Pro delicti proportione* tempus illud poenitentiae datum est. Ergo prius facta fuit inquisitio de delicto atque de delicti gravitate, seu prius ecclesiastica auctoritas judicium instituit. Simile quid statuit *Conc. Carthaginense III,* can. 31: "Poenitentibus *secundum peccatorum differentiam* episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur".

(g) *S. Hilarius* dicit: "Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continentur, immobile severitatis *judicium* praemisit, ut quos in terris ligaverint . . . et quos solverint . . . hi apostolicae conditione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati"[105].

---

[104] Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 47. [105] M. P. 9, 1021.

(h) *S. Joannes Chrysostomus* stupet super hanc caelestem potestatem judiciariam sacerdotibus impertitam: "Sacerdotis solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet potestatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum rex: *Quaecumque* enim *ligaveritis* . . . A terra *judicandi* principalem auctoritatem sumit caelum. Nam *judex* (sacerdos) sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicaverit, hoc in supremis comprobat"[106].—Eamdem profert doctrinam S. Doctor in suo opere *De Sacerdotio,* lib. 3: "Quaecumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam, ipse Dominus ratam facit . . . Omne *judicium* dedit Pater Filio, videoque *ipsum omne* illis (sacerdotibus) traditum a Filio esse"[107].

(i) *S. Hieronymus* abhorret quidquam sinistri de episcopis dicere, nam "claves regni caelorum habentes quodammodo ante diem judicii judicant"[108].

(j) Similiter se expressit *S. Gregorius Magnus* de Apostolis et episcopis: "Principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent . . . Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt et alios damnant vel liberant . . . Grandis honor, sed grave pondus . . . *causae* ergo *pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda.* Videndum est quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat"[109].

(k) *Theodoretus* ait: "Sicut sacerdos lepram dijudicat, ita oportet ipsum et judicem esse peccatorum animae" (Q. 15 in Exod.).

(1) Cum Patribus idem sentiunt *Scholastici,* quamvis non loquantur nisi incidenter, ut ita dicam.

Ita, v. g., *Petrus Lombardus* supponit tamquam ab omnibus admissum sacerdotem judicem esse, et magis agit de qualitatibus hujusmodi judicis, ubi quaerit: "Qualis esse debeat judex ecclesiasticus" (Sent. IV, dist. 19); et per S. Augustinum probat quod "debeat esse sacerdos, qui alios ligat et solvit, discretus sc., et justus".

---

106 M. P. 56, 130.
107 Rouet, n. 1119.
108 Rouet, n. 1345.
109 Ibid. n. 2235.

Alexander Halensis[110], loquendo de poenitente dicit: "Debet confiteri (peccatum), sicut habet in conscientia, et relinquere *judicio sacerdotis*".—Et ibid., q. 78, m. 1, a. 1, dicit sacerdotis potestatem dicere "efficaciam et judicium".

S. Thomas[111] tenet quod "judex in foro conscientiae non est nisi sacerdos, qui habet potestatem ligandi et solvendi".

S. Bonaventura colligit doctrinam de hoc puncto in suo *Breviloquio*, p. VI, cap. X, n. 5, hisce verbis: "Postremo, quia in curatione nostra manifestari debet ipsius Christi *judicis* recta justitia; et ipsius in propria persona non est judicare ante judicium ultimum et finale: ideo ad particularia judicia ante finem *judices* debuit constituere. Et quia judices isti inter Deum offensum et hominem offendentem sunt quasi intermediarii et proximi Christo et praepositi populo; Domino autem illi praecipue ministerio consecrati, sc., *sacerdotes:* ideo omnibus in sacerdotali ordine constitutis et solis datur potestas duplicis clavis, sc., clavis scientiae ad discernendum, et clavis, quae est potestas ligandi et solvendi, ad *dijudicandum* et absolutionis beneficium impendendum".

Ven. Duns Scotus, allegatis verbis: *Quorum remiseritis* . . . dicit: "Ibi . . . Christus dedit Apostolis et omnibus sacerdotibus potestatem judicandi peccata . . . Isti (Apostoli et sacerdotes) facti sunt judices in isto (conscientiae) foro"[112].

Optima igitur ratione S. Conc. *Tridentinum,* vestigia praemens tam S. Scripturae quam Traditionis, declarat quod Christus Dominus "ante hoc (poenitentiae) tribunal tamquam reos sisti voluit peccatores baptizatos, si justificari velint"[113]; "Quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus in caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et judices . . . qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient"[114].—Docet, praeterea, S. Conc., "quod absolutio sacerdotis . . . non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sen-

[110] Sum. Theol. P. IV, q. 77, m. 2, a. 2.
[111] Suppl. q. 8, a. 2 ad 2. Cfr. ibid. q. 17, a. 3. et q. 18.
[112] In edit. Vives, tom. 24, pag. 278; cfr. ibid. tom. 18, d. 17 et 19.
[113] Sess. 14, cap. 2.
[114] Ibid. cap. 5.

tentia pronuntiatur"[115]. Et ne ullum remaneat dubium de charactere judiciali absolutionis, rem definitive ac dogmatice absolvit, sequenti canone 9 sessionis XXIV: "S. q. d. absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem . . . A. S.".—Ultimo tandem, in Codice Juris Canonici, can. 870, docet Ecclesia peccatorum remissionem conferri "per judicialem absolutionem".

SCHOLION.—De tribunali poenitentiae atque de tribunali externo, maxime civili.

Utrumque tribunal in eo convenit quod adsunt judices, accusatores, testes, rei atque causae; judices tenentur causam instituere, justamque dicere sententiam. Sed differt: 1) Poenitentia est tribunal internum pro foro conscientiae, aliud est mere externum; 2) poenitentia est directe in bonum *individui,* aliud autem est directe in bonum societatis; 3) Poenitentia reddit innocentiam peccatori eumque justificat, i. e., eum *facit* justum, aliud vero reum tantummodo *declarat* innocentem; 4) In poenitentia poenitens ipse simul est accusator, reus atque testis, in aliis autem tribunalibus ita non est, ut omnes norunt.

ARTICULUS VII.

Clavium potestas est potestas necessaria.

Clavium charactere judiciali superius exposito, ad complendum et concludendum studium de clavium potestate, discuti debet alia earumdem clavium qualitas, sc., ejus *necessitas.* In hoc ultimo articulo investigandum est, utrum peccator *teneatur* recursum facere ad claves ut peccatorum veniam obtineat, an ipsi liberum tantum sit hujusmodi facere recursum.

Protestantes, nonnulli saltem ex Anglicanis et Ritualistis, tenent utile esse ad claves recurrere, sed non necessarium; at contra est doctrina catholica quae sic exprimi potest:

Ad veniam peccatorum obtinendam non tantum utile est ad claves recurrere, sed etiam necessarium sive re sive saltem voto.

Explicatur: (a) De utilitate nulla est quaestio, cum tum a catholicis tum a protestantibus (saltem ab eminentioribus et sanioribus) agnoscatur.

(b) Quaestio est de necessitate. Et cum catholica Ecclesia tenendum est recursum illum necessarium esse tum necessitate

[115] Ibid. 6.

praecepti, quatenus sc., si omittatur *culpabiliter* salus non obtinetur, tum necessitate *medii,* quatenus sc., salus obtineri nequit alio medio, si quis mortale peccatum commisit post baptismum susceptum.

(c) Dicitur: *sive re sive saltem voto;* nam aliquando impossibilis est recursus ad sacerdotes jurisdictionem habentes, et tunc, juxta catholicam doctrinam, sufficit *votum,* i. e., voluntas submittendi propria peccata clavibus cum actu perfectae contritionis.

Probatur propositum. (A) *Scriptura.* (a) "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt", i. e., Si vos remittitis, Ego remitto; si vos retinetis, si vos non impertimini absolutionem, Ego non impertior. Itaque haec verba includunt tamquam necessarium recursum ad Ecclesiae ministros, si peccator vult salutem obtinere. Hic est obvius sensus praecitati textus: Commisisti mortale peccatum? Recurras ad Ecclesiae ministros, secus Deus non te absolvet. Ergo "praeter absolutionem nullum aliud medium independens justificationis exsistit", ut cl. Pesch verbis utar[116]. Etenim si sic non intelliguntur Domini verba, potestas collata simpliciter vana est et illusoria.

Obj.—Possum actum perfectae contritionis perficere.

Resp.—Potes, divina adjuvante gratia, quae nulli denegatur. Sed in actu perfectae caritatis includitur necessario voluntas confitendi seu ad claves recurrendi, quia hujusmodi actus includit voluntatem Domini praecepta et voluntatem servandi. Sed voluntas est ut ad ministros ejus recurras. Ergo.

Attamen non requiritur votum *explicitum,* i. e., non requiritur ut peragas actum specialem quo exprimas voluntatem tua peccata clavibus subjiciendi, quamvis hunc actum perficere specialem valde laudabile sit; sed non teneris, quia nullibi, quantum scio, praecipitur hujusmodi actus. Sufficit proinde votum *implicitum,* i. e., generalis voluntas faciendi quod Deus praecipit ad salutem obtinendam.

Obj.—Hujusmodi recursus est nimis durus.

Resp.—Ita est, sed vitari nequit, quia Deus praecipit; ideoque unum ex iis duobus, quando peccatum mortale committi-

[116] Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 175.

tur: aut recursum facere, saltem in voto, ad claves aut damnari. Non datur medium.

Sed prosequamur probationem.

(b) Per praefata verba Apostoli eorumque successores constituti sunt *judices* in regno Dei. Sed in omni regno bene ordinato causae deferendae sunt, et quidem necessario, non tantum libere, ad judices regni. Ergo causae occurrentes in regno Christi sunt deferendae ad judices ejus, ad Apostolos sc., aut ad eorum successores, nisi quis dicere velit regnum Christi inordinatum esse. Quod absit! Ergo necessarius est recursus ad claves, peccato mortale interveniente.

Obj.—Recursus esset revera necessarius, si Dominus locutus fuisset modo negativo: Si non remittitis, non remittam . . . Sed locutus est modo positivo seu affirmativo: Si quorum remittitis peccata . . . .

Resp.—Conc. Dominum locutum fuisse modo positivo; sed neg. recursum non esse necessarium. Nam eo ipso quod rex aliquis tribunal constituit, satis superque demonstrat causas tractari debere apud illud tribunal constitutum, secus tribunal esset supervacaneum. Sed Dominus verbis: Si quorum remiseritis peccata . . . tribunal constituit. Ergo.

Praeterea, haec necessitas confirmatur verbis promissionis: "Quaecumque ligaveritis, erunt ligata". Ergo necesse est ut omnia deferantur peccata ad sacerdotis tribunal, ad hoc ut ipse videat quaenam solvenda, quaenam vero liganda sint[117].

(B) *Trad.*—Patres atque antiqui scriptores ecclesiastici nec non Concilia de necessitate clavium egerunt, dum disputarunt de necessitate confessionis seu *exomologesis*. Cur autem sic se gesserint, deduci potest ex *Tertulliano*[118] exomologesim definiente: "Exomologesis est *petitio veniae,* qua qui petit veniam delictum confitetur". Posita ergo in tuto necessitate veniae, in tuto ponitur pariter necessitas *auctoritatis* veniam concedentis; nam, ut ipse Tertullianus ait, "frustra agetur poenitentia, si caret venia"[119]. Haec autem venia obtinetur a Deo per auctoritatem Ecclesiae, seu praelatorum ipsius, ut patebit ex sequentibus.

---

117 Cfr. Bellarminus, Controv., lib. III, De Poenit., cap. 2, col. 1031.
118 De Orat., cap. 7.
119 De Pudit., cap. 3.

I.—Patres Apostolici.

Patres Apostolici loquuntur quidem de confessione, sed non constat utrum loquantur de confessione soli Deo facta, an de confessione apud sacerdotes.—Non constat etiam utrum loquantur de confessione, ut ita dicam, devotionis, an de confessione sacramentali stricte dicta.

In *Didache* statuitur: "In ecclesia confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem cum conscientia mala"[120]. "Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum"[121]. Hic commendatur confessio, et proponitur tamquam medium purificationis. Hoc medium est necessarium, sicut necessarium est ut conscientia sit munda mundumque sacrificium. Sed numquid agitur hic de confessione sacramentali? Non sunt concordes auctores circa hoc punctum. Etenim, juxta *Tixeront*[122], illa confessio, cum facienda sit "in ecclesia", est aliquid *quasi-officiale,* ideoque facienda est coram ministro ecclesiae; juxta *Tanquerey,* "nil prohibet quin praefata verba de confessione sacramentali intelligantur"[123]; *Pesch* citat Didache pro confessione sacramentali, quamvis agnoscit non apparere, "utrum confessio facienda sit hominibus an soli Deo"[124]; juxta *Pohle-Preus,* citata verba Didache intelligi possunt de confessione coram ministro, quamvis character sacramentalis non probetur per illam auctoritatem, quia silet de absolutione[125]; juxta *D'Ales,* confessio illa erat pro primis christianis quod est *confieor Deo* in missa dictum, i. e., generalis quaedam confessio[126]. Cum ergo auctores non sint concordes, nec auctoritas illa in se clara sit, quod deduci potest, ut mihi videtur, est hoc: tunc temporis extitisse aliquam confessionem externam, eamque fuisse consideratam tamquam necessariam.

Eodem modo interpretanda esse videtur auctoritas epistolae auctoris, sic dicti *Pseudo-Barnabae,* cum auctor adhibeat eadem verba, exceptis verbis "In ecclesia".

---

120 Rouet, n. 3.
121 Ibid. n. 8.
122 Histoire de Dogmes, I. La Theologie Anteniceene, pag. 149-51, Paris, a. 1905.
123 De Poenit., pag. 539.
124 Prael. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 178.
125 De Poenit., pag. 214.
126 Theol. de Tertull., pag. 342, in nota 2, Paris, 1908.

Hermas in suo opere cui titulus "Pastor", loquitur etiam de confessione, sed non dicit *cuinam* peccata sint aperienda, nec de absolutione loquitur[127].

S. Clemens Romanus corinthios rebelles inducit ad confessionem, ejusdemque necessitatem eis patefacit, dicens: "Melius enim est homini peccata sua confiteri quam indurare cor suum"[128].—Cuinam facienda sit confessio *insinuat* hisce exhortatoriis verbis ad duces rebellionis dictis: "Vos igitur qui seditionis fundamenta jecistis in obedientia subditi stote *presbyteris,* et correctionem eorum suscipite in poenitentiam"[129].

II.—Patres posteriores.

Quod vago proposuerunt modo Patres Apostolici, disserte a sequentibus Patribus asseritur, sc., ad salutem conquerendam post peccatum mortale commissum necessarium esse confugere ad confessionem sacramentalem seu recursum facere ad clavium potestatem.

(a) *S. Irenaeus* habet exomologesim tamquam medium salutis necessarium, ejusdem omissionem tamquam causam perditionis. Hoc luculenter patet ex facto quod refert de mulieribus a Marco ejusque discipulis seductis: mulieres quae peccatum suum confessae sunt, Deo et Ecclesiae reconciliatae sunt; mulieres autem quae ita non fecerunt, desperarunt "a vita Dei"[130]. Ergo, juxta S. Irenaeum, exomologesis, confessio seu recursus ad clavium potestatem est res necessaria ad salutem obtinendam.

(b) Argumentum fortissimum in favorem necessitatis ad claves recursus est institutio *poenitentialium tribunalium.*—Ad quid instituere hujusmodi tribunalia, si necessarius non fuisset ad claves recursus? Ad quid se submittere hujusmodi processibus laboriosis, duris et verecundia afficientibus? Hoc institutum luce clarius probat fidem in necessitatem ad claves recursus, fidem, inquam, tam praelatorum quam etiam subditorum.

(c) *Tertullianus* ad urgendam necessitatem exomologesis proponit exemplum atque praxim infirmorum corporalium, necnon damnationis poenam: "Exomologesis . . . disciplina est . . .

---

127 Simil. 9, cap. 23, n. 4.

128 Epist. ad Cor., cap. 51, n. 1.

129 Ibid., 57, 1.

130 Rouet, n. 193.

ingemiscere, lacrimari, mugire . . . *presbyteris advolvi* . . . Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant et ita cum erubescentia sua *pereunt*. Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur . . . An melius est damnatum latere quam palam *absolvi?*"[181]. Sicut ergo necessarium est corporalem infirmitatem medico pandere ad corporalem salutem obtinendam, ita necesse est spiritualem infirmitatem, peccatum, sc., spirituali medico, presbytero, sc., manifestare ad obtinendam spiritualem salutem per absolutionem. Recursus ergo ad absolutionem necessarius est.

(d) *Origenes* pariter docet ad poenam fugiendam atque ad salutem obtinendam necessarium omnino esse ut homo confiteatur cuncta peccata, etiam cogitationes pravas: "Si peccaverit, inquit (propheta) . . . pronuntiet peccatum . . . Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere *pronuntianda sunt et in publicum proferenda cuncta,* quae gerimus. Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commissimus, *cuncta necesse est publicare, cuncta proferri* . . . Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut justificeris . . . Vide ergo, quia pronuntiare peccatum remissionem peccati meretur. Praeventus enim diabolus in accusatione (quam facere intendit contra nos in hora mortis nostrae), ultra nos accusare non poterit, et si nostri simus accusatores, *proficit nobis ad salutem;* si vero expectemus, ut a diabolo accusemur, accusatio illa *cedit nobis in poenam;* habebit enim socios *in gehenna,* quos convicerit criminum socios"[182]. Necesse est ergo ad remissionem obtinendam proprium peccatum manifestare; quod tunc fit, "cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae panes die ac nocte, et cum non erubescit *sacerdoti Domini* indicare peccatum et quaerere medicinam"[183].

(e) *Lactantius* ita necessariam putat confessionem pro christianis lapsis, sicut necessaria pro judaeis circumcisio fuit: "Ob hanc causam Deus circumcisionem judaeis praecipiendo

[181] M. P., 1, 1243. [182] M. P., 12, 429. [183] Ibid. col. 418.

nudari pudendam corporis partem jussit, ut hoc argumento nos admoneret ne involutum pectus haberemus, i. e., ne quod pudendum facimus intra conscientiae secreta velemus . . . Volens enim vitae ac saluti nostrae pro aeterna sua pietate consulere poenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut, si cor nudaverimus, i. e., si peccata confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequemur, quae contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo sed intima et arcana pectoris intuetur"[134].

(f) *S. Basilius* hanc regulam statuit: "Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis. Ut igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines nec quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt, ita etiam peccatorum confessio *fieri debet* apud eos videlicet, qui ea curare possunt"[135]. Facienda est ergo confessio; et "necesse est iis peccata confiteri, quibus credita est dispensatio mysteriorum"[136], i. e., episcopis et sacerdotibus.

(g) *S. Pacianus,* sicut Tertullianus, peccatoribus proponit exemplum eorum qui corporalibus detinentur infirmitatibus, eosdemque peccatores exhortatur ut vulneratam conscientiam sacerdoti detegant, ne pereant, sic clare docens necessitatem ad clavium recursus: "Quid facis tu,—inquit sanctus,—qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis. Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus etiam secaturos, etiam perusturos . . . Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuam vitam praesenti pudore mercari? Et offerenti manus Domino vulnera mala tecta subducet? Et habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum laesit? An sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento ejus acquiras, cui pro te melius est perire"?[137]

Obj.—Sed aliquis dicere potest: Si occulte pecco, occulte petere possum veniam a Domino, quin recurrere tenear ad claves.

---

[134] M. P. 6, 501.
[135] M. P. 31, 1235.
[136] Ibid. col. 1283.
[137] M. P. 13, 1086.

Resp.—Etiam in hoc casu teneris recurrere ad claves, juxta Patres. Ii enim exigunt hujusmodi recursum etiam quando agitur de simplici prava cogitatione. Sic, v. g., docet *S. Cyprianus* loquens de sacrificatis et libellaticis, qui sua delicta confiteri nolebant. "Quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel *cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes* Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciant"[138].—Paulo supra *Origenem* audivimus dicentem necesse esse cuncta publicari, etiam illa quae "intra cogitationum secreta commisimus.".—*S. Hieronymus* etiam hujusmodi doctrinam tradit: "Si quem serpens diabolus occulte momordit et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, et non egerit poenitentiam nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater, qui linguam habent ad curandum facile ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat"[139].—Similiter *S. Augustinus:* "Nemo sibi dicat: Occulte ago (poenitentiam), apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? *Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei?* Frustramus evangelium? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne nos decipimus"?[140]. Juxta SS. Patres ergo, necessarium est recurrere ad claves, etiam quando agitur de occultissimis peccatis, quemadmodum sunt cogitationes.

(h) *Sozomeni* verba de necessitate recursus ad claves brevia quidem sunt, sed succosa. Ait enim: "In petenda venia peccatorum necessario confiteri oportet"[141].

(i) Pari modo *S. Leo Magnus* necessitatem docet: "Multiplex,—ait,—misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut, qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, ut indulgentis Dei *nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*"[142]. Commisso ergo peccato mortali, aut recursus fit ad claves aut damnatio incurritur.

---

138 De Lapsis, cap. 28.
139 M. P. 23, 1296.
140 M. P. 39, 1711.
141 M. P. 67, 1459.
142 M. P. 54, 1011.

(j) Ideo *S. Joannes Chrysostomus* nos admonet ne despiciamus superexcelsam sacerdotibus commissam potestatem ligandi atque solvendi: "Insania enim manifesta est, tantum principatum despicere, *sine quo neque salutem,* neque promissa bona consequi possumus"[143].

Respondetur ad nonnullas objectiones.

Ex praecitatis auctoritatibus, clare constat SS. Patres necessarium considerasse ad clavium recursum. Sed aliquando apud SS. Patres nonnullae phases occurrunt, quas adversarii objicere solent tamquam sacerdotis munus et ministerium excludentes. Dicunt Patres, v. g., ut peccator confiteatur Deo, immo soli Deo.

Sed hisce verbis non excluditur sacerdotis munus et ministerium. Si enim hoc asseratur, asseritur Patres sibi *contradicere,* et quidem *aperte,* quod nemo sanae mentis dicere potest, quia Patres generatim sunt luminaria magna scientifica.

Praeterea, quod aliquis Pater sibi contradicat, transeat; infallibilis enim non est. Sed quod tota traditio sibi contradicat, impossibile est, quia hoc esset contra Ecclesiae infallibilitatem et indefectibilitatem a Christo promissas; tunc enim portae inferi praevalerent contra Ecclesiam, et Christi Domini nostri verba nihil valerent. Quis autem hoc asserere potest jure meritoque?

Multoties illis verbis SS. Patres indicare ac docere intendunt *primario* Deo et secundario sacerdoti peccatorem peccata confiteri: "Confitere,—inquit *Anastasius Sinaita,* De Sacra Synaxi,—peccata tua *Christo* per sacerdotem"[144].—Et *Egbertus* eboracensis praescribit peccatori: "Confiteatur *Deo* malefacta sua, ut sacerdos sciat, quam poenitentiam ipsi imponere debeat"[145].—*Joannes Jejunator,* Constantinopolitanus Patriarcha, confessario mandat ut sic peccatorem alloquatur: "Spiritualis fili, ego confessionem tuam *primario et praecipue non recipio,* nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus" . . . [146]. Quamvis ergo primario confessio Domino fiat, non tamen excluditur sacerdos.

---

143 M. P. 48, 643.
144 In auct. Cambefisii, tom. 1, edit. Paris, pag. 890.
145 Mansi, Colect. Conc., tom. 12, col. 232.
146 Apud Hurter, Comp. Theol. Spec., tom. 3, ubi legere potest plura alia testimonia.

Aliquando etiam verbis "Confitearis Deo, confitearis soli Deo", Patres nonnisi excludere volunt *publicam* confessionem: "Non te,—ait *S. Chrysostomus* ad peccatorem,—non te *in theatrum conservorum* duco, neque hominibus peccata revelare cogo"[147]. Et alio in loco ait: "Non tibi dico, ut ea (peccata tua) *tamquam pompam in publicum* proferas, neque ut apud alios te accuses, sed ut pareas prophetae dicenti: Revela Domino viam tuam"[148]. Excluduntur ergo conservi tantum, i. e., ii qui potestatem non habent; non tamen excluditur sacerdos; nam, ut ipse S. Chrysostomus ait, "ne, quia peccasti, te pudeat accedere (ad sacerdotem); immo ob hoc ipsum accede. Nemo enim dicit: Quia ulcus habeo, medicum non accerseo, neque pharmacum accipio; immo ob hoc ipsum maxime et medici advocandi sunt et pharmacorum vim requirere opus est. Scimus etiam nos (sacerdotes) ignoscere, quia et ipsi aliis peccatis obnoxii. Ideo namque Deus non angelos dedit nobis doctores neque Gabrielem desuper mittens ipsum gregi praefecit, sed ex ipso ovili *pastores* assumit, ex ovibus gregis ducem, qui ad ignoscendum subditis pronus sit et infirmitatem propriam expendens non insurgat adversus gregarios"[149]. Igitur sacerdotem non excludas, sed "sacerdoti vulnus manifesta", ut ait ipse Chrysostomus[150].

Contra necessitatem recurrendi ad claves objici solet etiam, a) casus Nectarii, episcopi constantinopolitani, b) Gratiani dictum.

Casus Nectarii.

Sozomenus (Migne, P. G. L., tom. 67, col. 1458) et *Socrates* (Migne, tom. 67, col. 615) referunt Nectarium *abrogasse presbyterum poenitentiarium;* et ex hoc facto concludunt adversarii cum Calvino "confitendi ritum"[151], seu totam confessionem sacramentalem abrogasse. Haec tamen conclusio latius patet quam praemissa.

Etenim poenitentiarii munus erat recipere confessiones secretas, et *deinde statuere* utrum facienda esset confessio *publica,* necne. Attamen non omnes confessiones secretas ipse solus audiebat; "ad hoc enim in magnis ecclesiis unus presbyter non

---

147 M. P. 48, 746.
148 M. P. 63, 216.
149 M. P. 63, 463.
150 M. P. 49, 54.
151 Inst., lib. 3, cap. 4, n. 7.

fuisset sufficiens"[152]. Sed ad eum accedere tenebantur "qui *canonici* criminis rei erant, a quo absolvi non poterant a quocumque sacerdote sed a solo poenitentiario; itaque secundum nostrum modum loquendi ipse solus poterat absolvere a casibus reservatis"[153]. Hanc reservationem, hanc facultatem statuendi confessiones publicas sustulit Nectarius, et nihil amplius. Itaque tempore Nectarii fideles poterant ad *quemcumque* confessarium recurrere pro confessione, quae confessio tunc temporis ac deinceps *secreta* fuit, ut constat ex *S. Chrysostomo*, successore Nectarii, et ex *S. Nilo*, S. Joannis Chrysostomi discipulo[154].

Dictum Gratiani.

Gratianus refert suo tempore duplicem adfuisse de confessionis necessitate sententiam: "Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Graeci. Quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia"[155].

In primis auctores rejiciunt tamquam falsum illud quod Gratianus asserit de *Graecis*. Etenim in historia nullum apparet vestigium disputationis hac de re Latinos inter et Graecos. Cum ex altera parte, asserat Gratianus *totam fere sanctam Ecclesiam* sustinuisse necessitatem sacerdotibus confitendi, concludi potest nonnullos tantum auctores contrarium sustinuisse. Quinam sint illi auctores adhuc ignoratur. Sed certe magni nominis non sunt, cum eorum dictum evanuerit, et evanescere debebat, quia contra se habet totam traditionem, tam latinam sc., quam graecam, cujus specimen supra datum est.

Neque catena traditionis interrupta est sequentibus saeculis. Nam "nulli omnino theologi sunt, qui non doceant peccatoribus christianis confessionem necessariam esse ad salutem"[156].

Inter *Scholasticos*, audiatur ultimus omnium ratione temporis, licet non meriti, *V. J. D. Scotus*, qui docet: "Confessionem sacramentalem esse ad salutem necessariam semper ab orbe redempto fuit catholica veritas et ejus assertio contraria fuit haeretica"[157].

---

152 Pesch, Praelect. Dogm., vol. VII, P. II, pag. 191.
153 Ibid.
154 M. P. 79, 495.
155 De Poenit. dist. 1, cap. 90.
156 Pesch, l. c., pag. 182.
157 Lib. IV Sent., dist. 17.

N. B.—Citare volui *Ven. J. D. Scotum* prae ceteris Scholasticis, ut videatur recte no agere nonnullos theologos, qui videntur Ven. Drem.· proponere tamquam adversum, aliquatenus saltem, catholicae veritati de confessionis necessitate. Quod omnino injuste peragitur. Quaestio enim a Ven. Scoto exagitata est omnino diversa. Etenim non agit de necessitate confessionis, sed de *probatione* necessitatis.

Statuta veritate nostra modo supra relato ex ipso Ven. Scoto, Dr. Marianus investigat, in lib. IV Sent., dist. 17, q. unica, utrum *confessionis sacramentalis praeceptum* contineatur in sancto Evangelio "explicite", seu, utrum Dominus *"immediate et evidenter"* proposuerit hujusmodi praeceptum *sacramentalis* confessionis, ita ut ex *solis* verbis S. Scripturae, *sine ullo recursu ad Traditionem,* probari possit hujusmodi praeceptum. Sic propositae quaestioni respondet Ven. Scotus negative. Explicite, immediate et evidenter "data est potestas Apostolis, et in eis omnibus sacerdotibus, remittendi peccata". Sed idem dici non potest de divino praecepto confessionis, quod impositum est *indirecte* tantum: nam "nulli committitur potestas judiciaria et arbitraria (quam sc., exercet aliquis per modum arbitri), nisi alicui imponatur necessitas submittendi se sibi; sed Sacerdoti per te committitur hujusmodi potestas in causa peccati; ergo alicui ut reo imponitur necessitas submittendi se arbitrio ejus", secus confessiarius revera "nullam auctoritatem judicandi haberet, si iste (reus) posset judicari, si voluerit, et non judicari, si noluerit". Necessitas clare patet ex Traditione.

Ven. ergo Scotus tenet praeceptum divinum positivum et necessitatem confessionis probari ex S. Scriptura *simul* cum divina Traditione. Propter hoc acriter reprehenditur Ven. Dr. a nonnullis theologis, v, g., ab *Estio* et a *Pesch.*

Estius[158] calumniatur Scotum dicens: "Scotus vero cum dixisset sacramentum poenitentiae fuisse institutum a Christo, non tamquam necessarium, sed tamquam utile, postea subdit quod qui teneret confessionem solum esse de praecepto Ecclesiae, non posset faciliter impugnari, licet rationabilius sit dicere quod sit de jure divino". Scotus non dicit poenitentiae sacramentum institutum esse tamquam utile, sed expresse dicit necessarium esse ad salutem. Audivimus Scotum ipsum.—Praeterea,

[158] Sent. IV, dist. 17, § 7.

non dicit faciliter impugnari non posse sententiam de praecepto ecclesiastico, immo de facto et strenue sententiam illam tribus rationibus refutat: a) "quia Ecclesia non attentasset tam arduum praeceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset praeceptum divinum", b) quia "si haec opinio vera esset, videretur quod Papa non teneretur confiteri, quia sicut habetur *Extra, de verborum significatione, Exiit qui seminat,* non habet imperium par in parem", et c) "quia non invenitur ubi ab Ecclesia imponatur istud praeceptum". Sibi objicit Ven. Dr. Conc. Lateranense. Et ad hoc respondet longe ante Augustinum et Ambrosium aliosque multos praedicasse "confessionem valde esse necessariam". Et tandem concludit "fundamentum" divini praecepti confessionis sacramentalis contineri in verbis S. Joannis, cap. 20: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis . . . Scotus igitur nihil dicit quod dissonet ab Ecclesiae doctrina, et consequenter Estius nihil aliud fecit nisi Ven. Scotum calumniari.

Pesch[159], adductis argumentis "ex S. Scriptura", concludit: "Unde immerito *Scotus dubitat, num ex S. Scriptura sufficienter possit necessitas confessionis probari* . . . Recte autem dicit *Suarez* ante conc. trid. Scoti loquendi modum tolerati potuisse . . ." Sed vel ipse Pesch non adducit verba S. Scripturae *explicite, immediate et evidenter* hujusmodi necessitatem atque praeceptum *sacramentalis* confessionis imponentia. Procedit Pesch modo arguitivo et deductivo: arguit ex collatione clavium. Quae methodus est methodus Ven. Scoti. Ideoque immerito Pesch invehit in Scotum. Immerito etiam contra Ven. Scotum citatur Conc. Trid.; nam Conc. Trid. *unit* verba S. Scripturae cum S. Traditione. Ait enim: *"Ex institutione* sacramenti poenitentiae jam explicata *universa Ecclesia semper intellexit* institutum esse *etiam* a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam"[160]. Christus Dominus dedit clavium potestatem sacerdotibus, eosque "praesides et judices" constituit. Constat ex altera parte "sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse". Ex his duobus factis *Ecclesia collegit* necessitatem confitendi omnia peccata mortalia necnon et circumstantias peccatorum mutantes speciem: "Ex his *colligitur,* oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia . . . in confessione recen-

159 De Poenit., pag. 177. 160 Denz.-Ban., n. 899.

seri . . . *Colligitur* praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant"[161]. Eodem modo se exprimit S. Conc., quando loquitur de praecepto imposito a Conc. Lateranensi: "Neque enim per Lateranense concilium *Ecclesia* statuit, ut Christi fideles *confiteantur,* quod jure divino necessarium et institutum esse *intellexerat,* sed ut praeceptum confessionis semel in anno . . . impleretur"[162]. Non ergo Conc. Trid. dicit necessitatem et praeceptum divinum confessionis sacramentalis proposita fuisse a Christo Domino explicite, immediate et evidenter, immo Conc. recurrit ad Ecclesiae intellectum. Uno verbo: Trid. probat praefatas veritates ex S. Scriptura *simul* et ex Traditione. Haec autem methodus fuit methodus a Ven. Scoto in probatione earumdem veritatum, ideoque nulla adest pugna inter S. Conc. Trid. et Ven. Scotum.

Concludam hanc quaestionem de Ven. Scoto verbis *Pohle-Preuss*[163], quibus optime exprimitur veritas relate ad divinam institutionem et necessitatem sacramentalis confessionis, necnon modus cogitandi Ven. Scoti (quamvis hoc ultimum minime intendatur a Pohle-Preuss) circa praecitata puncta: "It (the divine institution and necessity of confession) cannot be proved *directly;* but an *indirect* argument may be construed upon the basis of what the Bible teaches in regard to the power of the keys". Ex potestate clavium ergo probatur indirecte et necessitas et praeceptum confessionis sacramentalis. Ideoque etiam post Conc. Trid. jure meritoque reprobari nequit argumentatio Ven. Scoti, cum adsint auctores moderni, qui candide confiteantur idem quod ante Conc. Trid. Ven. Scotus fassus est.

Contra universalem seu catholicam doctrinam de necessitate confessionis insurrexerunt *Wicleff, Petrus de Osma,* et *Protestantes.* Sed Ecclesia, vigil divinae revelationis custos, rejecit atque condemnavit praefatorum hominum placita, atque servavit integram tectamque doctrinam Christi.—*Martinus V* damnavit sequentem Wicleffi propositionem: "Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis"[164].—*Sixtus IV* postea damnavit hos Petri de Osma errores: "Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi,

[161] Denz.-Ban., ibid.
[162] Ibid. n. 901.
[163] De Poenit., pag. 187.
[164] Denz.-Ban., n. 587.

delentur per solam cordis contritionem, ***sine ordine ad claves***"[165]. "Pravae cogitationes confiteri non debent, sed displiscentia delentur, ***sine ordine ad claves***"[166]. Confessio ergo est necessaria, etiam quando quis contritionem habet.—Tandem Conc. Trid. contra Protestantes definivit eamdem doctrinam, dicens: "S. q. negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino . . . A. S."[167]. Recursus ergo ad claves, commisso post baptismum peccato mortali, necessarius est ad salutem.

CONCLUSIO.

Deo dante, hac in Dissertatione, poenitentiae, tum quatenus est sacramentum tum quatenus virtus est, definitio aliquantulum evoluta fuit.—Deinde statutus est sensus, sub quo "clavium potestas" assumi intendebatur.—Investigatae sunt, praeterea, clavium potestatis promissio et collatio.—Tandem clavium potestatis qualitates consideratae sunt, videlicet, clavium potestatis permanentia, hujus potestatis differentia a potestate baptizandi atque a potestate praedicandi, clavium potestatis character remissivus necnon judicialis, ejusdemque potestatis universalitas atque necessitas.

Gratias igitur agamus Domino nostro Jesu Christo, qui est "Samaritanus ille" piissimus, qui "spoliatum videns hominem et atrociter sauciatum, miserationis affectu competiens, medicinam attulit efficacem, qua curatis ipsius vulneribus, ac plena reddita sanitate, in sui principium, a quo descendens ab Jerusalem deviaverat, finaliter reduceretur" (Ven. J. D. Scotus, in Lib. IV sent., Praefat., apud Vives, tom. 16, pag. 8).

---

[165] Ibid., n. 724.
[166] Ibid., n. 726.
[167] Ibid., n. 916.

BIBLIOGRAPHIA.

Biblia sacra, Fillion, edit. VII, Paris, 1911.
Concilium Tridentinum, edit. P. Anastasii Muchuca Diez, Madrid, 1903.
Codex Juris Can., Romae, 1918.
Catechismus Romanus seu Trid., edit. P. Anastasii Diez, Madrid, 1911.
Alexander Halensis, Summa Theologiae, Nuremberger, 1482.
Allen, St. Matthew, The International Critical Commentary, New York, 1907.
Bellarminus, Card. Robertus, De Controversiis, tom. III, Paris, 1613.
Bonaventura, S., Sent. IV, Quaracchi, 1889.
Bullarium Franciscanum, Romae, 1898.
Breen, A Harmonized Exposition of the four Gospels, Rochester, N. Y., 1908.
Cajetanus, Card., De Roman. Pontific. Institutione, Opuscula Omnia, Lugduni, 1631.
Casey, Rev. P. H., S. J., Notes on a History of Auricular Confession, Philadelphiae, U. S., 1899.
Catholic Encyclopedia, The, N. Y., 1907-14.
Corluy, Spicilegium Dogmaticum-biblicum, Gandavi, 1884.
Cornelius a Lapide, Comment., in Script. S., Paris, 1857.
Denzinger-Bannwart, Enchiridion Symbolorum, Herder, edit. 11, a. 1911.
Guillelmus Estius, In quatuor Lib. Sent. Comment., Paris, 1680.
Gotti, O. P., Card. Theol. Schol.—Dogm., Venetiis, 1763.
Holzapfel-Hasselbeck, Manuale Historiae Ordinis Minorum, Herder, 1909.
Hurter, Sanct. Patrum Opuscula selecta, Oeniponte.
Hurter, Theol. Dogm. Comp., edit. IV, Oeniponte, 1883.
Kirch, Enchiridion fontium Historiae eccl., Friburgi, 1910.
Lea, H. Ch., A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, 3 vols., Philadelphia, 1896.
Leo XIII, Enc. "Immortale Dei", 8 Nov. 1885.
Migne, Patrologia.
Noel, Franciscus, Theologiae R. P. Suarez Summa, Migne, 1858.
O'Donnell, Rev. M. J., Penance in the Early Church, Dublin, 1908.
Perrone, De Poenit., edit Migne, 1864.
Pesch, Praelect., Dogm., edit. 3, Friburgi, 1911.
Pohle-Preus, Dogm. Theology, The Sacraments, vol. VIII, Penance, B. Herder, 1917.
Richardus a Media Villa, Script. super Sent., Venetiis, 1489.
Rouet de Journal, Enchiridion Patristicum, Friburgi, 1911.
Tanquerey, A, Synopsis Theol. Dogm. Adhibetur generatim edit. 13, Descle, 1911.
Tixeront, Histoire de Dogmes, I. La Theolgie Anteniceene, Paris, 1905.
Thomas, S, Summa Theol., Romae, 1894.
Scotus, Ven. Joannes Duns, Opera Omnia, Paris, 1894.
Vigouroux, Dictionaire de la Bible, Paris, 1899.
Vivo, Januarius de, Disputatio Theologico-Dogmatica de Re Sacramentaria, Neapoli, 1886.
Watkins, Oscar, d., A History of Penance, 2 vols., Londini, 1920.

LAUS DEO.

AUCTORIS VITA.

Die 13 Januarii a. 1888, in civitate Angelopolitana (vulgo Puebla), Mexici, natus sum. In catholicis scholis ejusdem civitatis instructioni elementari operam dedi. Deinde per tres annos studui apud Seminarium Palafoxianum in eadem civitate situm. Ab a. 1906 admissus sum in Ordinem Franciscanum, in Provincia SS. Apost. Petri et Pauli, Queretari, Mex., ubi naturalibus scientiis et Philosophiae, ac, per tres annos, S. Theologiae studui. Romae curriculum theologicum complevi, necnon sacram tonsuram sacrosque ordines recepi; presbyter creatus fui die 4 Aprilis a. 1915. Ibidem pro Lectoratu in S. Theologia obtinendo per duos annos studui; sed ob mundiale bellum Romam reliqui, perrexique Argentinam, ubi ex mandato Rmi. Patris Generalis O. F. M., Fr. Seraphini Cimini examini subjectus sum ad Lectoris titulum accipiendum, quem, die 24 Dec. a. 1915, obtinui. Deinde apud S. Barbaram, Calif., confratres meos in exilium missos S. Theologiam sacramque Eloquentiam docui per duos annos, ab a. 1916; quibus expletis, Washingtonium petivi, atque in ALMA UNIVERSITATE CATHOLICA iterum S. Theologiae operam dedi sub Dr. Fr. Josepho Daniele Kennedy, O. P., et, per annum, Rev. Edmundo Shanahan, S. T. D., ac Juri Canonico sub Mons. Philippo Bernardini, U. J. D. Praefatis cl. Doctoribus gratum meum animum libenter pando propter eorumdem amabilitatem erga me. ALMA UNIVERSITAS CATHOLICA me agnovit tamquam Baccalaureum ob titulum Lectoris quem habebam, ac Licentiati gradum in S. T. mihi conferre dignita est die 2 Junii a. 1919.

INDEX.

UNIVERSITAS CATHOLICA AMERICAE

Washingtonii, D. C.

S; FACULTAS THEOLOGICA.

1920 — 1921

No. 16

THESES.

DEUS LUX MEA.

THESES

quas

Ad Doctoris Gradum in Sacra Theologia

Apud

UNIVERSITATEM CATHOLICAM AMERICAE

consequendum

PUBLICE PROPUGNABIT

Fr. AMBROSIUS VILLALPANDO, O. F. M.

S. T. L.

Filius Provinciae SS. Apost. Petri et Pauli

in

MEXICO

Hora IX A. M. Die XXV Aprilis, MCMXXI.

THESES.

I.

De fide tenendum est omnia Sacramenta Novae Legis fuisse, saltem mediate, a Christo Domino instituta, et certum videtur omnia pariter fuisse ab eodem Domino immediate instituta.

II.

Quamvis nullus inveniatur ante saeculum XII, qui explicite septem, et septem tantum sacramenta enumeraverit, attamen probari potest eadem in usu fuisse ab Ecclesiae initio.

III.

Sacramenta a Christo instituta minime spectari possunt tamquam mera putaque symbola et memorialia.

IV.

Sacramenta Novae Legis gratiam causant quam significant, ipsamque obicem non ponentibus conferunt ex opere operato.

V.

Triplex Baptismi, Confirmationis et Ordinis effectus enumeratur: gratia sanctificans, gratia habitualis atque character.

VI.

Ad validam sacramentorum administrationem requiritur intentio vere interna, virtualis saltem, atque determinata ad certam personam aut materiam.

VII.

Valide quis baptizari potest aspersione vel infusione aut immersione; minime vero requiritur immersio.

VIII.

Baptismi subjectum est quilibet homo viator non baptizatus, etiamsi sit infans.

IX.

Bene inspecta quaestione XXIV, part. IV, Summae Theologiae Alexandri Halensis, sustineri potest Alexandrum Halensem non docuisse Confirmationis sacramentum fuisse institutum in Concilio Meldensi, sed fuisse locutum praefatum auctorem de accuratiori Sacramenti determinatione facta in supra dicto Concilio.

X.

Dominus Noster Jesus Christus est vere, realiter atque substantialiter praesens in Smo. Eucharistiae Sacramento. Ideoque non est praesens moraliter tantum; nec Smum. Eucharistiae Sacramentum spetari potest tamquam merum symbolum et memoriale.

XI.

Ad frequentem, immo quotidianam, communionem minime requiritur ut quis liber sit a peccato veniali, licet quam maxime sit optandum; sufficit habere rectam piamque intentionem atque non habere conscientiam de peccato mortali.

XII.

Sancta missa est sacrificium proprie dictum, et aliud non habet humanum genus sub Nova Lege, immolato Christo Domino in ara crucis.

XIII.

Ven. Joannes Duns Scotus non docet Poenitentiae sacramentum utile tantum esse, sed tenet hujusmodi sacramentum esse necessarium, commisso mortali peccato, post baptismum.

XIV.

Cardinalis Cajetani sententia, secundum quam, clavium potestas nonnisi Beato Petro Apostolo atque Romanis Pontificibus competit, dummodo claves in suo amplissimo sensu accipiantur, dici nequit sententia singularis, sed est sententia sacrae Scripturae (Mt. 16, 18) valde conformis.

XV.

Franciscani, qui vixerunt tempore Romani Pontificis Joannis XXII, dici nequeunt auctores distinctionis clavium in clavem scientiae et clavem potentiae, cum longe ante ipsos haec distinctio apud auctores clare determinata inveniatur.

XVI.

Praeter ordinis potestatem requiritur in confessario jurisdictionis potestas, secus invalide agit, seu non absolvit.

XVII.

Ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum obtinendam sub Novo Foedere absolute necessarium est aut

habere contritionem perfectam simul cum voto recipiendi Poenitentiae sacramentum, aut habere attritionem seu contritionem imperfectam et recipere sacramentalem absolutionem.

XVIII.

Contritio, quae "animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero" (Conc. Trid., sess. XIV, cap. 4), includit non tantum resipiscentiam seu vitae mutationem, ut tenet Lutherus cum suis, sed etiam includit hoc aliud elementum: odium de peccato commisso.

XIX.

Ut contritio, sive perfecta sive imperfecta, ad sacramentum valide recipiendum sufficiat, sit oportet vera, supernaturalis, universalis, appretiative summa.

XX.

Minime approbari potest opinio eorum, qui dicunt S. Bonaventuram docuisse Extremam Unctionem fuisse institutam ab Apostolo Jacobo.

XXI.

Anglicani, non obstantibus eorum conatibus, numquam probabunt falsam esse declarationem Bullae "Apostolicae curae" (a. 1896) statuentis ordinationes ritu anglicano peractas irritas prorsus esse omninoque nullas.

XXII.

Matrimonium numquam fuit contractus simpliciter civilis, sed semper habitum est tamquam aliquid sacrum; et Dominus Noster Jesus Christus contractum matrimonialem sacramentis Novae Legis adnumeravit.

XXIII.

Consensus et nil aliud quam consensus constituit materiam et formam sacramenti Matrimonii.

XXIV.

Matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis; secundarius mutuum adjutorium et remedium concupiscentiae.

XXV.

Divortium primario naturae fini non opponitur, saltem valde difficiliter probatur; opponitur autem quam maxime secundario juri naturali.

XXVI.

Dogmatum catholicorum natura confundi non debet cum eorumdem explicatione, quocumque modo haec intelligatur.

XXVII.

Dogmatum catholicorum profectus nequit explicari ad instar germinis biologici, sed proprias habet, et quidem tantummodo logicas, proficiendi leges.

XXVIII.

Communem conceptum Dei omnium inesse mentibus, paganorum scilicet et christianorum, non solum Scripturae sed etiam Patrum testimonia nec non nuperrima religionum historia luce clarius ostendunt.

XXIX.

Gratia et natura, etsi inter se distinctae, ab invicem inter se non separantur, sed quid unum, nempe hominem supernaturalem, efformant.

XXX.

Non in quaque forma substantiali nequam, nec in qualitate quadam morbida, nec demum in transgressu protoparentum nobis imputato, sed in destitutione gratiae sanctificantis, quae habitualem quamdam, a fine supernaturali aversionem secumfert, reponenda est essentia peccati originalis transmissi.

XXXI.

Theologice, historice et critice inspecta, ostenditur falsa distinctio illa nuperrime adinventa inter Christum quem exhibet historia et Christum quem accipit fides.

XXXII.

Quod Christus nos redimerit non tantum doctrina sua et exemplis, sed specialiter morte sua piaculari, historice et theologice constat.

XXXIII.

Doctrinae protestanticae de salutifero opere Christi historia nec traditione nec ratione suadetur.

XXXIV.

Doctrina de satisfactione infinite superabundanti moralia et spiritualia includit elementa, divinum nempe amorem, qui causa

fuit, non vero simpliciter effectus, operis redemptivi a Christo consummati; errant proinde qui conceptum catholicum pure legalem putant.

XXXV.

Interactio misericordiae et justitiae divinae, prout ab Angelico Doctore explicatur, redemptivo operi Salvatoris explicando, non parum inservit.

XXXVI.

"Divinae revelationi tribuendum est ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint" (Conc. Vat. Const. *Dei Filius,* cap. II.).

XXXVII.

"Primatus jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo collatus fuit a Christo Domino" (Conc. Vat. Const. *Pastor aeternus,* cap. III.).

XXXVIII.

Successores beati Petri in primatu sunt Pontifices Romani, ideoque vera Christi Ecclesia ex unione cum sede Romana ubique distinguenda est.

XXXIX.

Magisterium infallibile instituit Christus in Ecclesia sua.

XL.

Ex Christi institutione omnibus incumbit obligatio veram Ecclesiam implectendi, ideoque reicienda est notio omnes religionis Christianae formas aeque bonas esse.

XLI.

Desiderium, etiam inefficax, rei malae, et gaudium de re mala induunt malitiam specificam tum objecti tum circumstantiarum; delectatio morosa induit malitiam objecti, non vero circumstantiarum, nisi circa ipsas versetur delectatio.

XLII.

Bellum per se licitum est, sive ad injuriam repellendam, sive ad jus Reipublicae vindicandum; illicitum tamen est in ipso bello directe intendere mortem hostis.

XLIII.

Titulus legis civilis, dummodo non constet immoderatum esse, est justa ratio et honesta lucrum aliquod ex mutuo recipiendi, secluso etiam quocumque alio titulo, i. e., quin opus sit inquirere an alius titulus adsit.

XLIV.

Naturalis justitia exigit ut operariorum remuneratio talis sit ut sufficiat tam suis quam suarum familiarum necessitatibus subveniendis, frugali tamen modo et rationabili.

XLV.

Numquam licet directa actione: neque occidere infantem in utero matris; neque operatione chirurgica illum extrahere ab utero matris, cum extra uterum nondum vivere nequit infans, neque alio modo abortum procurare.

XLVI.

Catholice sustineri potest quaelibet ex hisce opinionibus relate ad diluvium universale: a) diluvium fuit absolute universale, i. e., tam geographice quam anthropologice; b) diluvium fuit universale anthropologice tantum; c) diluvium non fuit universale neque anthropologice neque geographice.

XLVII.

Canticum Canticorum poëticus est liber quo celebratur Christi cum Ecclesia spirituale matrimonium.

XLVIII.

Logos, quem nos docet S. Joannes Apostolus in suis scriptis, toto caelo differt a logo quem exhibet nobis Philo.

XLIX.

Contextus Epistolae I ad Cor., cap. XV, 45-49, parenticam quidem habet significationem, sed includit etiam mysterium duplicis in Christo naturae.

L.

Tanta adest similitudo cogitationis et expressionis inter caput XIII lib. Sapientiae atque S. Pauli Epist. ad Romanos I, 18 ss., ut concludi possit aliqualis litterarius influxus in S. Paulum.

LI.

Can. 1-7.

LII.

Can. 92-94.

LIII.

Can. 216.

LIV.

Can. 1012-1016.

LV.

Can. 1409-1413.

LVI.

Honorius Papa I in suis ad Sergium epistolis duabus nullam ex cathedra edidit definitionem, neque ullum docuit errorem contra fidem.

LVII.

Urbani Papae VI electio, quae Occidentale praecesit Schisma, jure merito tenenda est tamquam legitima atque canonica.

LVIII.

Ex christologicis controversiis saeculorum decursu habitis luce clarius apparet Christum fuisse positum "in signum cui contradicetur" (Lc. II, 34).

LIX.

Vaticana documenta circa Galilaeum, a. 1877 edita, clare demonstrant ecclesiasticae auctoritates in damnatione hujus perillustris hominis motas non fuisse odio contra veram scientiam.

LX.

Exponuntur verae ac fundamentales causae quae ansam praebuerunt hodiernae revolutioni Mexicanae atque religiosae persecutioni.

Vidit Sacra Facultas:

JOANNES A. RYAN, S. T. D. p. t. Decanus.
PETRUS GUILDAY, Ph. D. p. t. a Secretis.

Vidit Rector Universitatis:

THOMAS J. SHAHAN, S. T. D.